

*Janina Vilan-Unguru*

# ANTOLOGIE LATINĂ

*Pentru facultatea de filologie*

---

EDITURA DE STAT DIDACTICĂ ȘI PEDAGOGICĂ  
BUCUREȘTI – 1962

Biblioteca Universității „Lucian Blaga” din Sibiu



Biblioteca Centrala

LU88461160



Biblioteca Centrala Universitara - Sibiu

INVENTAR  
2020

MINISTERUL ÎNVĂȚĂMÎNTULUI ȘI CULTURII  
UNIVERSITATEA — BUCUREȘTI  
FACULTATEA DE FILOLOGIE

*Janina Vilan-Unguru*

# ANTOLOGIE LATINĂ

*Pentru facultatea de filologie*

UNIVERSITATEA „LUCIAN BLAGA”  
— SIBIU —  
INVENTARIAT 1998

EDITURA DE STAT DIDACTICĂ ȘI PEDAGOGICĂ  
BUCUREȘTI 1962

Bibl. Instit. de Inv. superior Sibiu  
INV. Nr. 45-417 1978

Biblioteca Universității „Lucian Blaga” din Sibiu



La alcătuirea prezentei Antologii au colaborat :  
Asist. MARIA HETCO și Asist. EUGEN CIZEK



# *T. Maccius Plautus*

(254 — 184 i.e.n.)

## **AMPHITRUO**

### **SOSIA. MERCURIUS**

SOSIA : Quod numquam opinatus fui neque alius quisquam civium  
Sibi eventurum, id contigit, ut salvi potiremur domi :  
Victores victis hostibus legiones reveniunt domum,  
Extincto duello maxumo atque internecatis hostibus.  
Quod multa Thebano poplo acerba obiecit funera, **190**  
Id vi et virtute militum victum atque expugnatum oppidumst,  
Imperio atque auspicio mei eri Amphitruonis maxume,  
Praeda atque agro qui adoriaque adfecit popularis suos  
Regique Thebano Creoni regnum stabilivit suom.  
Me a portu praemisit domum, ut haec nuntiem uxori suae, **195**  
Ut gesserit rem publicam ductu, imperio, auspicio suo.  
Ea nunc meditabor, quo modo illi dicam, quom illo advenero.  
Si dixero mendacium , solens meo more fecero;  
Nam, quom pugnabant maxume, ego tum fugiebam maxume.



- Verum, quasi adfuerim, tamen simulabo atque audita eloquar. 200  
 Sed quo modo et verbis quibus me deceat fabularier,  
 Prius ipse mecum etiam volo hic meditari. Sic hoc proloquar.  
 Principio, ut illo advenimus, ubi primum terram tetigimus,  
 Continuo Amphitruo delegit viros primorum principes;  
 Eos legat : Telebois iubet sententiam ut dicant suam : 205  
 Si sine vi et sine bello velint rapta et raptores tradere,  
 Si, quae asportassent, redderent, se exercitum extemplo domum  
 Reducturum, abituros agro Argivos, pacem atque otium  
 Dare illis; sin aliter sient animati neque dent, quae petat,  
 Sese igitur summa vi virisque eorum oppidum oppugnassere. 210  
 Haec ubi Telebois ordine iterarunt, quos praefecerat  
 Amphitruo, magnanimi viri, freti virtute et viribus,  
 Superbi nimis, ferociter legatos nostro increpant!  
 Respondent bello se et suos tutari posse, proinde uti  
 Propere de finibus suis exercitus deducerent. 215  
 Haec ubi legati pertulere, Amphitruo e castris ilico  
 Producit omnem exercitum : contra Teleboae ex oppido  
 Legiones educunt suas nimis pulchris armis praeditas.  
 Postquam utrimque exitumst maxuma copia, 220  
 Dispertiti viri, dispertiti ordines  
 Nos nostras more nostro et modo instruximus;  
 Hostes contra legiones suas instruunt.  
 Deinde utrique imperatores in medium eunt,  
 Extra turbam ordinum conloquuntur simul.  
 Convenit, victi utri sint eo praelio, 225  
 Urbem, agrum, aras, focos seque uti dederent.  
 Postquam id actumst, tubae contra utrimque occanunt;  
 Consonat terra; clamorem utrimque eferunt.  
 Imperator uterque hinc et illinc Iovi  
 Vota suscipere, tum exercitum hortarier. 230  
 Pro se quisque id, quod quisque et potest et valet,  
 Edit; ferro ferit; tela frangunt; boas  
 Caelum fremitu virum: ex spiritu et anhelitu  
 Nebula constat: cadunt volnerum vi viri.  
 Denique, ut voluimus, nostra superat manus;  
 Hostes crebri cadunt, nostri contra ingruunt : 235  
 Vicimus vi feroces.  
 Sed fugam in sic tamen nemo convortitur,  
 Nec recedit loco, quin statim rem gerat;  
 Animam omittunt prius quam loco demigrent : 240  
 Quisque, ut steterat, iacet obtinetque ordinem.  
 Haec ubi Amphitruo erus conspicatust meus,  
 Illico equites iubet dextera inducere.  
 Equites parent citi, ab dextera maxumo  
 Cum clamore involant, inpetu alacri ruont; 245  
 Foedant et proterunt hostium copias  
 Iure iniustas.

- MERCURIUS : Numquam etiam quicquam adhuc verborumst  
 prolocutus perperam.  
 Namque ego fui illi in re praesenti et meus, quom pugnatumst,  
 pater.
- SOSIA : Perduelles penetrant se in fugam : ibi nostris animus  
 additust. 250  
 Vortentibus Telebois telis conplebantur corpora,  
 Ipsusque Amphitruo regem Pterelam suapte obruncavit  
 manu.  
 Haec illic est pugnata pugna inde a mane usque ad vesperum :  
 Hoc adeo hoc commemini magis, quia illo die inpransus fui.  
 Sed praelium id tandem diremit nox interventu suo. 255  
 Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes principes,  
 Velatis manibus, orant, ignoscamus peccatum suom ;  
 Deduntque se, divina humanaque omnia, urbem et liberos,  
 In dicionem atque in arbitratum cuncti Thebano poplo.  
 Post ob virtutem ero Amphitruoni patera donata aureast, 260  
 Qui Pterela potitare rex est solitus. Haec sic dicam erae.  
 Nunc pergam eri imperium exsequi et me domum capessere.
- MERCURIUS : Attat, illic huc iturust : ibo ego illic obviam ;  
 Neque ego hunc hominem huc hodie ad aedis has sinam  
 umquam accedere.  
 Quando imagost huius in me, certumst hominem eludere. 265  
 Et enimvero quoniam formam cepi huiusce in me  
 et statum,  
 Decet et facta moresque huius habere me similis item.  
 Itaque me malum esse oportet, callidum, astutum admodum,  
 Atque hunc telo suo sibi, malitia, his a foribus pellere.  
 Sed quid illuc est? Caelum aspectat. Observabo  
 quam rem agat. 270
- SOSIA : Certe edepol, si quicquamst aliud, quod credam  
 aut certo sciam,  
 Credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium :  
 Nam neque se septem triones quoquam in caelo conmovent,  
 Neque se luna quoquam mutat, statque uti exortast semel,  
 Nec iugulae neque vesperugo neque vergiliae occidunt. 275  
 Ita statim stant signa, neque nox quoquam concedit die.
- MERCURIUS : Perge, nox, ut occepisti : gere patri morem meo ;  
 Optumo optume optumam operam des, datam pulchre locas.
- SOSIA : Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,  
 Nisi itidem unam, verberatus quam pependi perpetem : 280  
 Eam quoque edepol etiam multo haec vicit longitudine.  
 Credo edepol equidem dormire Solem, atque adpotum probe :  
 Mira sunt, nisi invitavit sese in cena plusculum.
- MERCURIUS : Ain tu vero, verbero? Deos esse tui similis putas?  
 Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer, 285  
 Accipiam : modo, sis, veni huc, invenies infortunium  
 .....



- SOSIA : Ibo, ut, erus quod imperavit, Alcumenae nuntiem.  
Sed quis est hic homo, quem ante aedis video hoc noctis?  
Non placet.
- MERCURIUS : Nullust hoc meticulosus aequae.
- SOSIA : Hem, in mentem venit :  
Illic hoc homo denuo volt pallium detexere.
- MERCURIUS : Timet homo : deludam ego illum. 295
- SOSIA : Perii, dentes pruriunt :  
Certe, advenientem hic me hospitio pugneo accepturus est.  
Credo, misericors est : nunc propterea quod me meus erus  
Fecit, ut vigilarem, hoc pugnis faciet hodie, ut dormiam.  
Oppido interii : obsecro hercle, quantus et quam validus est !
- MERCURIUS : Clare advorsum fabulabor ; hic auscultet, quae loquar :  
Igitur demum magis maiorem in sese concipiet metum. 300  
Agite, pugni ; iam diust, quom ventri victum non datis.  
Iam pridem videtur factum, heri quod homines quattuor  
In soporem conlocastis nudos.
- SOSIA : Formido male,  
Ne ego hic nomen commutem meum et Quintus fiam e Sosia 305  
Quattuor viros sopori se dedisse hic autumat ;  
Metuo, ne numerum augeam illum.
- MERCURIUS : Em, nunciam ergo ; sic volo.
- SOSIA : Cingitur : certe expedit se.
- MERCURIUS : Non feret, quin vapulet...
- SOSIA : Quis homo ?
- MERCURIUS : Quisquis homo huc profecto venerit, pugnos edet.
- SOSIA : Apage, non placet me hoc noctis esse : cenavi modo ;  
Proin tu istam cenam largire, si sapis, esurientibus. 310
- MERCURIUS : Haud malum huic est pondus pugno.
- SOSIA : Perii, pugnos ponderat.
- MERCURIUS : Quid, si ego illum tractim tangam, ut dormiat ?
- SOSIA : Servaveris :  
Nam continuas has tris noctes pervigilavi.
- MERCURIUS : Pessimumst  
Facinus nequiter ferire malam : male discit manus. 315  
Alia forma oportet esse, quem tu pugno tetigeris.
- SOSIA : Illic homo me interpolabit meumque os fin et denuo.
- MERCURIUS : Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris.
- SOSIA : Mirum, ni hic me quasi muraenam exossare cogitat.  
Ultero istunc qui exossat homines. Perii, si me aspexerit. 320
- MERCURIUS : Olet homo quidam malo suo.
- SOSIA : Hei mihi, numnam ego obolui ?
- MERCURIUS : Atque haud longe abesse oportet, verum longe hinc  
afuit.
- SOSIA : Illic homo superstitiosust.
- MERCURIUS : Gestiuunt pugni mihi.
- SOSIA : Si in me exercituru's, quaeso, in parietem ut primum domes. 325

- MERCURIUS : Vox mihi ad auris advolavit.  
 SOSIA : Ne ego homo infelix fui,  
 Qui non alas intervelli : volucrem vocem gestito.  
 MERCURIUS : Illic homo a me sibi malam rem arcessit iumento suo.  
 SOSIA : Non equidem ullum habeo iumentum.  
 MERCURIUS : Onerandust pugnīs probe.  
 SOSIA : Lassus sum hercle e navi, ut vectus huc sum : etiam nunc  
 nauseo. 330
- Vix incedo inanis, ne ire posse cum onere existumes.  
 MERCURIUS : Certe enim hic nescio quis loquitur.  
 SOSIA : Salvos sum, non me videt :  
 Nescio quem loqui autumat : mihi certe nomen Sosia est.  
 MERCURIUS : Hinc enim mihi dextra vox auris, ut videtur, verberat.  
 SOSIA : Metuo, vocis ne vicem hodie hic vapulem, quae hunc verberat.  
 MERCURIUS : Optume ecum incedit ad me. 335  
 SOSIA : Timeo, totus torpeo.  
 Non edepol nunc ubi terrarum sim scio, si quis roget,  
 Neque miser me commovere possum prae formidine.  
 Illicet : mandata eri perierunt una et Sosia.  
 Verum certumst confidenter hominem contra conloqui,  
 Qui possim videri huic fortis, a me ut abstineat manum. 340  
 MERCURIUS : Quo ambulas, tu, qui Volcanum in cornu  
 conclusum geris?  
 SOSIA : Quid id exquiris tu, qui pugnīs os exossas hominibus?  
 MERCURIUS : Servos esne an liber?  
 SOSIA : Ut quomque animo conlubitumst meo.  
 MERCURIUS : Ain tu vero?  
 SOSIA : Aio enimvero.  
 MERCURIUS : Verbero!  
 SOSIA : Mentire nunc.  
 MERCURIUS : At iam faciam, ut verum dicas dicere. 345  
 SOSIA : Quid eost opus?  
 MERCURIUS : Possum scire, quo profectus, quous sis aut quid  
 veneris?  
 SOSIA : Huc eo, mei eri sum servos. Num quid nunc es certior?  
 .....
- MERCURIUS : Quid apud hasce aedis negoti est tibi? 350  
 SOSIA : Immo quid tibist?  
 MERCURIUS : Rex Creo vigiles nocturnos singulos semper locat.  
 SOSIA : Bene facit : quia nos eramus peregri, tutatust domi.  
 At nunc abi sane, advenisse familiaris dicito.  
 MERCURIUS : Nescio quam tu familiaris sis : nisi actutum hinc abis,  
 Familiaris accipiere, faxo haud familiariter. 355  
 SOSIA : Hic, inquam, habito ego atque horunc sum servos.  
 MERCURIUS : At scin quo modo?  
 Faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis.  
 SOSIA : Quonam modo?



- MERCURIUS : Auferere, non abibis, si ego fustem sumsero.
- SOSIA : Quin me esse huius familiai familiarem praedico.
- MERCURIUS : Vide, sis, quam mox vapulare vis, nisi actutum hinc abis ? 360
- SOSIA : Tun domo prohibere peregre me advenientem postulas?
- MERCURIUS : Haecine tua domust?
- SOSIA : Ita, inquam.
- MERCURIUS : Quis erus est igitur tibi?
- SOSIA : Amphitruo, qui nunc praefectust Thebanis legionibus,  
Quicum nuptast Alcumena.
- MERCURIUS : Quid ais? qui nomen tibist? 365
- SOSIA : Sosiam vocant Thebani, Davo prognatum patre.
- MERCURIUS : Ne istic hodie malo tuo compositis mendaciis  
Advenisti, audaciai columen, consutis dolis.
- SOSIA : Immo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis.
- MERCURIUS : At mentiris etiam : certo pedibus, non tunicis venis.
- SOSIA : Ita profecto. 370
- MERCURIUS : Nunc profecto vapula ob mendacium.
- SOSIA : Non edepol volo profecto.
- MERCURIUS : At pol profecto ingratiis;  
Hoc quidem profecto certumst, non est arbitrarium.
- SOSIA : Tuam fidem obsecro.
- MERCURIUS : Tun te audes Sosiam esse dicere,  
Qui ego sum?
- SOSIA : Perii.
- MERCURIUS : Parum etiam, praeut futurumst, praedicas.  
Quoius nunc es? 375
- SOSIA : Tuos : nam pugnīs usu fecisti tuom.  
Pro fidem, Thebani cives.
- MERCURIUS : Etiam clamas, carnufex?  
Loquere, quid venisti?
- SOSIA : Ut esset, quem tu pugnīs caederes.
- MERCURIUS : Quoius es?
- SOSIA : Amphitruonis, inquam, Sosia.
- MERCURIUS : Ergo istoc magis,  
Quia vanilocu's, vapulabis : ego sum, non tu, Sosia.
- SOSIA : Ita di faciant, ut tu potius sis atque ego te ut verberem. 380
- MERCURIUS : Etiam muttis?  
SOSIA : Iam tacebo.
- MERCURIUS : Quis tibi erust?
- SOSIA : Quem tu voles.
- MERCURIUS : Quid igitur? qui nunc vocare?
- SOSIA : Nemo, nisi quem iusseris.
- MERCURIUS : Amphitruonis te esse aiebas Sosiam.
- SOSIA : Peccaveram :  
Nam Amphitruonis socium ne me esse volui dicere.
- MERCURIUS : Scibam equidem nullum esse nobis nisi me servom  
Sosiam. 385
- Fugit ratio te.

- SOSIA : Utinam istuc pugni fecissent tui.
- MERCURIUS : Ego sum Sosia ille quem tu dudum esse aiebas mihi.
- SOSIA : Obsecro, ut per pacem liceat te adloqui, ut ne vapulem.
- MERCURIUS : Immo indutiae parumper fiant, si quid vis loqui.
- SOSIA : Non loquar nisi pace facta, quando pugnis plus vales. 390
- MERCURIUS : Dic, si quid vis : non nocebo.
- SOSIA : Tuae fide credo?
- MERCURIUS : Meae.
- SOSIA : Quid, si falles?
- MERCURIUS : Tum Mercurius Sosiae iratus siet.
- SOSIA : Animum advorte : nunc licet mihi libere quidvis loqui.  
Amphitruonis ego sum servos Sosia.
- MERCURIUS : Etiam denuo? 395
- SOSIA : Pacem feci, foedus ici, vera dico.
- MERCURIUS : Vapula.
- SOSIA : Ut lubet; quod tibi lubet, fac, quoniam pugnis plus vales.  
Verum, utut es facturus, hoc quidem hercle haud reticebo tamen.
- MERCURIUS : Tu me vivos hodie numquam facies, quin sim Sosia.
- SOSIA : Certe edepol tu me alienabis numquam, quin noster siem;  
Nec nobis praeter me quisquamst alius servos Sosia, 400  
Qui cum Amphitruone hinc una profectus eram in exercitum.
- MERCURIUS : Hic homo sanus non est.
- SOSIA : Quod mihi praedicas vitium, id tibist.  
Quid, malum, non sum ego servos Amphitruonis Sosia?  
Nonne hac noctu nostra navis huc ex portu Persico  
Venit, quae me advexit? nonne me huc erus misit meus? 405  
Nonne ego nunc sto ante aedis nostras? non mihist laterna  
in manu?  
Non loquor? non vigilo? non hic homo me pugnis contudit?  
Fecit hercle : nam mihi misero etiam nunc malae dolent.  
Quid igitur ego dubito? aut quor non intro eo in nostram domum?
- MERCURIUS : Quid, domum vostram? 410
- SOSIA : Ita enimvero.
- MERCURIUS : Quin, quae dixisti modo,  
Omnia ementitu's : equidem sum Amphitruonis Sosia.  
Nam noctu hac solutast navis nostra a portu Persico,  
Et, ubi Ptercla rex regnavit, oppidum expugnativimus,  
Et legiones Teleboarum vi pugnando cepimus,  
Et ipsus Amphitruo obruncavit regem Pterelam in praelio 415
- SOSIA : Egomet mihi non credo, quom illaec autumare illum audio :  
Hic quidem certe, quae illic sunt res gestae, memorat memoriter.  
Sed quid ais? quid Amphitruoni dono a Telebois datumst?
- MERCURIUS : Pterela rex qui potitare solitus est, patera aurea. 420
- SOSIA : Elocutus est. — Ubi patera nunc est?
- MERCURIUS : Est in cistula,  
Amphitruonis obsignata signo.
- SOSIA : Signi dic quid est?



- MERCURIUS : Cum quadrigis Sol exoriens. Quid me captas, carnufex?  
 SOSIA : Argumentis vicit. Aliud nomen quaerendumst mihi.  
 Nescio unde haec hic spectavit. Iam ego hunc decipiam probe :  
 Nam quod egomet solus feci, nec quisquam alius adfuit 425  
 In tabernaclo, id quidem hodie numquam poterit dicere.  
 Si tu Sosia's, legiones, quom pugnabant maxume,  
 Quid in tabernaclo fecisti? Victus sum, si dixeris.
- MERCURIUS : Cadus erat vini; inde inplevi hirneam.  
 SOSIA : Ingressust viam.  
 MERCURIUS : Eam ego vini, ut matre natum fuerat, eduxi meri.  
 SOSIA : Mira sunt, nisi latuit intus illic in illac hirnea. 430  
 Factumst illud, ut ego illic vini hirneam ebiberim meri.
- MERCURIUS : Quid? nunc vincone argumentis, te non esse Sosiam?  
 SOSIA : Tu negas med esse?  
 MERCURIUS : Quid ego ni negem, qui egomet siem?  
 SOSIA : Per Iovem iuro med esse neque me falsum dicere. 435  
 MERCURIUS : At ego per Mercurium iuro, tibi Iovem non credere :  
 Nam iniurato, scio, plus credet mihi quam iurato tibi.
- SOSIA : Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? te interrogo.  
 MERCURIUS : Ubi ego Sosia nolim esse, tu esto sane Sosia ;  
 Nunc quando ego sum, vapulabis, ni hinc abis, ingobilis. 440  
 SOSIA : Certe edepol, quom illum contemplo et formam cognosco meam,  
 Quem ad modum ego sum (saepe in speculum inspexi), nimis  
 similst mei.  
 Itidem habet petasum ac vestitum; tam consimilst atque ego :  
 Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum, vel labra,  
 Malac, mentum, barba, collus; totus. Quid verbis opust? 445  
 Si tergum cicatricosum, nihil hoc similst similium.  
 Sed quom cogito, equidem certo idem sum, qui semper fui.  
 Novi erum, novi aedis nostras; sane sapio et sentio.  
 Non ego illi obtempero, quod loquitur; pultabo foris.
- MERCURIUS : Quo agis te? 450  
 SOSIA : Domum.  
 MERCURIUS : Quadrigas si nunc inscendas Iovis  
 Atque hinc fugias, ita vix poteris ecfugere infortunium.  
 SOSIA : Nonne erae meae nuntiare, quod erus meus iussit, licet?  
 MERCURIUS : Tuae si quid vis nuntiare; hanc nostram adire  
 non sinam.
- Nam si me inritassis, hodie lumbifragium hinc auferes.  
 SOSIA : Abeo potius. — Di immortales, obsecro vostram fidem, 455  
 Ubi ego perii? ubi inmutatus sum? ubi ego formam perdididi?  
 An egomet me illic reliqui, si forte oblitus fui?  
 Nam hic quidem omnem imaginem meam, quae antehac  
 fuerat, possidet.  
 Vivo fit, quod numquam quisquam mortuo faciet mihi.  
 Ibo ad portum atque haec, uti sunt facta, ero dicam meo; 460  
 Nisi etiam is quoque me ignorabit; quod ille faxit Iuppiter,  
 Ut ego hodie raso capite calvos capiam pileum.

## AULULARIA

## EUCLIO, STAPHYLA

- EUCLIO : Exi, inquam ; age, exi ; exeundum hercle tibi hinc est  
foras, 40  
Circumspectatrix cum oculis emissiciis.
- STAPHYLA : Nam cur me miseram verberas ?
- EUCLIO : Ut misera sis  
Atque ut te dignam mala malam aetatem exigas.
- STAPHYLA : Nam me qua nunc causa extrusisti ex aedibus?
- EUCLIO : Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges? 45  
Illuc regredere ab ostio. Illuc, sis, vide,  
Ut incedit. At scin, quo modo tibi res se habet?  
Si hodie hercle fustem cepero aut stimulum in manum,  
Testudineum istum tibi ego grandibo gradum.
- STAPHYLA : Utinam me divi adaxint ad suspendium 50  
Potius quidem quam hoc pacto apud te serviam.
- EUCLIO : At ut scelestas sola secum murmurat!  
Oculos hercle ego istos, improba, ecfodiam tibi,  
Ne me observare possis, quid rerum geram. 55  
Abscede etiam nunc, etiam nunc.
- STAPHYLA : Etiamne?
- EUCLIO : Istic adstato. Si hercle tu ex istoc loco  
Digitum transvorsum aut unguem latum excesseris,  
Aut si respexis, donicum ego te iussero,  
Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.  
Scelestiorem me hac anu certe scio 60  
Vidisse numquam, nimisque ego hanc metuo male,  
Ne mihi ex insidiis verba imprudenti duit,  
Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum,  
Quae in occipitio quoque habet oculos, pessuma.  
Nunc ibo, ut visam, sitne ita aurum, ut condidi, 65  
Quod me sollicitat plurimis miserum modis.
- STAPHYLA : Noenum mecastor, quid ego ero dicam meo  
Malae rei evenisse quamve insaniam,  
Queo comminisci : ita me miseram ad hunc modum  
Deciens die uno saepe extrudit aedibus. 70  
Nescio pol, quae illunc hominem intemperiae tenent :  
Pervigilat noctes totas, tum autem interdus,  
Quasi claudus sutor, domi sedet totos dies.
- .....



- EUCLIO** : Nunc defaecato demum animo egredior domo,  
 Postquam perspexi salva esse intus omnia. 80  
 Redi nunciam intro atque intus serva.
- STAPHYLA** : Quippini?  
 Ego intus servem? An, ne quis aedis auferat?  
 Nam hic apud nos nihil est aliud quaesti furibus :  
 Ita inanis sunt oppletae atque araneis.
- EUCLIO** : Mirum, quin tua me causa faciat Iuppiter 85  
 Philippum regem aut Darium, trivenefica.  
 Arancas mihi illas servari volo.  
 Pauper sum, fateor; patior : quod di dant, fero.  
 Abi intro, occlude ianuam; iam ego hic ero.  
 Cave quemquam alienum in accis intromiseris, 90  
 Quod quispiam ignem quaerat, extingui volo,  
 Ne causae quid sit, quod te quisquam quaeritet;  
 Nam si ignis vivet, tu extingueres extempulo.  
 Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet, 95  
 Cultrum, securim, pistillum, mortarium,  
 Quae utenda vasa semper vicini rogant,  
 Fures venisse atque abstulisse dicito.  
 Profecto in aedis meas me absente neminem  
 Volo intromitti; atque etiam hoc praedico tibi :  
 Si Bona Fortuna veniat, ne intromiseris. 100
- STAPHYLA** : Pol ea ipsa, credo, ne intromittatur cavet :  
 Nam ad aedis nostras nusquam adiit quaquam prope.
- EUCLIO** : Tace atque abi intro.
- STAPHYLA** : Taceo atque abeo.
- EUCLIO** : Occlude, sis,  
 Fores ambobus pessulis; iam ego hic ero.  
 Discrucior animi, quia ab domo abeundumst mihi. 105  
 Nimis hercle invitus abeo; sed, quid agam, scio.  
 Nam noster, nostrae quist magister curiae,  
 Dividere argenti dixit nummos in viros.  
 Id si relinquo ac non peto, omnes ilico  
 Me suspicientur, credo, habere aurum domi; 110  
 Nam verisimile non est hominem pauperem  
 Pauxillum parvi facere quin nummum petat.  
 Nam nunc, quom celo sedulo omnis, ne sciant,  
 Omnes videntur scire, et me benignius  
 Omnes salutant, quam salutabant prius : 115  
 Adeunt, consistunt, copulantur dexteris;  
 Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum geram.  
 Nunc, quo profectus sum, ibo; postidea domum  
 Me rursus, quantum potero, tantum recipiam.
- .....

## EUCLIO, STROBILUS

- EUCLIO : I foras, lumbrice, qui sub terra crepsisti modo,  
 Qui modo nusquam comparebas; nunc, quom compares, peri.  
 Ego pol te, praestrigiator, miseris iam accipiam modis. 630
- STROBILUS : Quae te mala crux agitat? Quid tibi mecumst  
 commercii, senex?  
 Quid me adfflictas? Quid me raptas? Qua me causa verberas?
- EUCLIO : Verberabilissime etiam rogitas? non fur, sed trifur...
- STROBILUS : Quid tibi subripui?
- EUCLIO : Redde huc, sis.
- STROBILUS : Quid tibi vis reddam?
- EUCLIO : Rogas?
- STROBILUS : Nihil equidem tibi abstuli. 635
- EUCLIO : At illud, quod tibi abstuleras, cedo.  
 Ecquid agis?
- STROBILUS : Quid agam?
- EUCLIO : Mea auferre non potes.
- STROBILUS : Quid vis tibi?
- EUCLIO : Pone.
- STROBILUS : Id quidem pol te dictare credo consuetum, senex.
- EUCLIO : Pone hoc, sis. Aufer cavillam : non ego nunc nugas ago.
- STROBILUS : Quid ego ponam? Quin tu eloquere, quidquid est,  
 suo nomine. 640
- Non hercle equidem quidquam sumpsi nec tetigi.
- EUCLIO : Ostende huc manus.
- STROBILUS : Em, tibi ostendi; eccas.
- EUCLIO : Video. Age, ostende etiam tertiam.
- STROBILUS : Larvae hunc atque intemperiae insaniaeque agitant  
 senem. 645
- Facin mi iniuriam, an non?
- EUCLIO : Fateor, quia non pendes, maximam;  
 Atque id quoque iam fiet, nisi fatere.
- STROBILUS : Quid fatear tibi?
- EUCLIO : Quid abstulisti hinc?
- STROBILUS : Di me perdant, si ego tui quidquam abstuli,  
 Nive adeo abstulisse vellem. 645
- EUCLIO : Agedum, excutedum pallium.
- STROBILUS : Tuo arbitrato.
- EUCLIO : Ne inter tunicas habeas.
- STROBILUS : Tempta, qua lubet.
- EUCLIO : Vah! scelestus quam benigne, ut ne abstulisse intellegam!  
 Novi sycophantias tuas. Age, rursum ostende huc manum  
 Dexteram. 650
- STROBILUS : Em.
- EUCLIO : Nunc laevam ostende.
- STROBILUS : Quin equidem ambas profero.
- EUCLIO : Iam scrutari mitto. Redde huc.



STROBILUS : Quid reddam?

EUCLIO : Ah, nugas agis!

Certe habes.

STROBILUS : Habeo ego? quid habeo?

EUCLIO : Non dico : audire expetis.

Id. meum quidquid habes. redde.

STROBILUS : Insanis. Perscrutatus es

Tuo arbitrato. neque tui me quidquam invenisti peres.

EUCLIO : Mane, mane. Quis illest. qui hic intus alter erat  
tecum simul? 655

Perii hercle : ille nunc intus turbat. Hunc si amitto,  
hic abierit.

Postremo hunc iam perscrutavi : hic nihil habet.

Abi, quo lubet.

STROBILUS : Iuppiter te dique perdant.

EUCLIO : Haud male agit hic gratias.

Ibo intro atque illi socienno tuo iam interstringam  
gulam. 660

Fugin hinc ab oculis? abin, an non?

STROBILUS : Abeo.

EUCLIO : Cave, sis revideam.

### EUCLIO

Perii, interii, occidi! Quo curram? Quo non curram?  
Tene, tene! Quem? quos?

Nescio. Nil video : caecus eo : atque equidem, quo  
eam, aut ubi sim, aut qui sim.

Nequeo cum animo certum investigare. Obsecro vos  
ego, mi auxilio. 715

Oro, obtestor, sitis et hominem demonstratis, qui  
eam abstulerit.

Quid est, quod ridetis? Novi omnis : scio fures esse  
hic conpluris.

Qui vestitu et creta occultant sese atque sedent, quasi  
sint frugi.

Quid ais tu? Tibi credere certumst : nam esse bonum  
ex voltu cognosco.

Em, nemo habet horum? Occidisti. Dic igitur, quis  
habet. Nescis? 720

Heu me miserum! Misere perii ; male perditus, pessume  
ornatus eo :

Tantum gemiti et malae maestitiae mi hic dies obtulit,  
famem et pauperiem.

Perditissimus ego sum omnium in terra. Quid mi opust  
vita qui tantum auri

Perdidi, quod concustodivi sedulo? Egomet me  
 defraudavi  
 Animumque meum geniumque meum. Nunc adeo alii 725  
 laetificantur  
 Meo damno et malo. Pati nequeo!

## MERCATOR

### EUTYCHUS, CHARINUS.

- EUTYCHUS: Divom atque hominum quae spectatrix atque era  
 eadem es hominibus.  
 Spem insperatam quom obtulisti hanc mihi, tibi  
 grates ago.  
 Ecquisnam deus est qui mea nunc laetus laetitia fuat?  
 Domi erat, foris quod quaeritabam. Sex sodalis repperi: 845  
 Vitam, amicitiam, civitatem, laetitiā, ludum, iocum.  
 Eorum inventu res simitu pessumas pessum dedi:  
 Iram, inimicitiam, stultitiā, exitium, pertinaciam,  
 Maerorem, lacrumas, exsilium, inopiam, solitudinem.  
 Date, di, quaeso, conveniundi mi eius celerem copiam. 850
- CHARINUS: Apparatus sum, ut videtis. Abiicio superbiam:  
 Egomet mihi comes, calator, equos, agaso sum, armiger:  
 Egomet sum mihi imperator, idem egomet mihi obedio:  
 Egomet mihi fero, quod usust. O Cupido, quantus es!  
 Nam tu quemvis confidentem facile tuis factis facis, 855  
 Eundem ex confidente actutum diffidentem denuo.
- EUTYCHUS: Cogito, quonam ego illum curram quaeritatum.
- CHARINUS: Certa rest.  
 Me usque quaerere illam, quoquo hinc abductast gentium;  
 Neque mihi ulla obsistet amnis, neque mons, neque adeo mare,  
 Nec calor: nec frigus metuo, neque ventum, neque grandinem; 860  
 Imbrem perpetiar, laborem sufferam, solem, sitim.  
 Non concedam neque quiescam usquam noctu neque diu  
 Prius profecto, quam aut amicam aut mortem investigavero.
- EUTYCHUS: Nescio quonia vox ad auris mi advolavit.
- CHARINUS: Invoco  
 Vos, Lares viales, ut me bene iuветis. 865



- EUTYCHUS : Iuppiter,  
Estne illic Charinus?
- CHARINUS : Cives, bene valetе.
- EUTYCHUS : Illico  
Sta, Charine.
- CHARINUS : Qui me revocat?
- EUTYCHUS : Spes, salus, victoria.
- CHARINUS : Quid me voltis?
- EUTYCHUS : Ire tecum.
- CHARINUS : Alium comitem quaerite :  
Non admittunt hi me comites, qui tenent.
- EUTYCHUS : Qui sunt ei?
- CHARINUS : Cura, miseria, aegritudo, lacrimae, lamentatio. 870
- EUTYCHUS : Repudia istos comites atque hoc respice et revortere.
- CHARINUS : Si quidem mecum fabulari vis, subsequere.
- EUTYCHUS : Sta illico.
- CHARINUS : Male facis, properantem qui me conmorare ; sol abit.
- EUTYCHUS : Si huc item properes, ut istuc properas, facias rectius. 875  
Huc secundus ventus nunc est ; cape modo vorsoriam,  
Hic Favonius serenust, istic Auster imbricus ;  
Hic facit tranquillitatem, iste omnis fluctus conciet.  
Recipe te ad terram, Charine, huc. Non ex advorso vides  
Nubes? Ater imber instat. Adspice nunc, sinistra  
Caelum ut est splendore plenum atque claritudine. 880
- CHARINUS : Religionem illic mi obiecit ; recipiam me illuc.
- EUTYCHUS : Sapis.  
O Charine, contra pariter fer gradum et confer pedem,  
Porrige brachium.
- CHARINUS : Prehende. Iam tenes?
- EUTYCHUS : Teneo.
- CHARINUS : Tene.
- EUTYCHUS : Quo nunc ibas?
- CHARINUS : Exsulatum.
- EUTYCHUS : Quid ibi ut faceres?
- CHARINUS : Quod miser.
- EUTYCHUS : Ne pave : restituum iam ego te, in gaudio antiquo ut sies. 885  
Maxime quod vis audire, id audies ; quod gaudeas,  
Studiosе adportans amicus venio multum benevolens.  
Tuam amicam...
- CHARINUS : Quid meam amicam?
- EUTYCHUS : Ubi sit, ego scio.
- CHARINUS : Tunc, obsecro?
- EUTYCHUS : Sanam et salvam.
- CHARINUS : Ubi eam salvam?
- EUTYCHUS : Id quoque ego scio.
- CHARINUS : Ego me mavelim.
- EUTYCHUS : Potin ut animo sis tranquillo? 890
- CHARINUS : Quid, si mi animus fluctuat?

EUTYCHUS : Ego istum in tranquillo, quieto, tuto sistam; ne time.

CHARINUS : Obsecro te, eloquere propere, ubi sit, ubi eam videris.

Quid taces? dic; enicas me miserum tua reticentia.

EUTYCHUS : Non longe hinc abest a nobis.

CHARINUS : Quin commonstras, si vides?

EUTYCHUS : Non video hercle nunc, sed vidi modo.

895

CHARINUS : Quin me ut videam facis?

EUTYCHUS : Faciam.

CHARINUS : Longum istuc amantist.

EUTYCHUS : Etiam metuis? Omnia

Commonstrabo. Amicior mihi nullus vivit, atque is est,

Qui illam habet, neque est quoi magis me melius velle

aequom siet.

CHARINUS : Non curo istunc; de illa quaero.

EUTYCHUS : De illa ergo ego dico tibi.

Sane hoc non in mentem venit dudum, ut obiicerem moram.

900

CHARINUS : Dic igitur: ubi illa est?

EUTYCHUS : In nostris aedibust.

CHARINUS : Aedis probas!

Si tu vera dicis, pulchre aedificatas arbitro.

Sed qui ego istuc credem? Vidisti an de audito nuntias?

EUTYCHUS : Egomet vidi.

CHARINUS : Quis eam adduxit ad vos?

EUTYCHUS : Enim inique rogas.

CHARINUS : Vera dicis?

EUTYCHUS : Nil, Charine, te quidem quidquam pudet.

Quid tua refert, quicum istuc venerit, dum istic siet?

Est profecto.

CHARINUS : Opta ergo ob istuc nuntium quidvis tibi.

EUTYCHUS : Quid, si optabo?

CHARINUS : Deos orabo, ut eius faciant copiam.

EUTYCHUS : Derides.

CHARINUS : Servata res est demum, si illam videro.

Sed quin ornatum hunc reiicio? Heus, aliquis actutum huc foras

Exite, illinc pallium mi ceferte.

910

EUTYCHUS : Em, nunc tu mihi places.

CHARINUS : Optume advenis, puere; cape chlamydem atque istic

sta ilico,

Ut, si haec non sint vera, inceptum hoc itiner perficere exsequar.

EUTYCHUS : Non mihi credis?

CHARINUS : Omnia equidem credo, quae dicis mihi.

Sed quin intro ducis me ad eam, ut videam?

915

EUTYCHUS : Paulisper mane.

CHARINUS : Quid manebo?

EUTYCHUS : Tempus non est intro cundi.

CHARINUS : Enicas.

EUTYCHUS : Non opus est, inquam, nunc intro te ire.



CHARINUS : Responde mihi :

Qua causa?

EUTYCHUS : Operae non est.

CHARINUS : Quor?

EUTYCHUS : Quia non est illi commodum.

CHARINUS : Itane? Commodum illi non est, quae me amat, quam ego contra amo?

Omnibus me ludificatur hic modis. Ego stultior,

920

Qui isti credam; conmoratur. Chlamydem sumam denuo.

EUTYCHUS : Mane parumper atque haec audi.

CHARINUS : Cape, sis, puer, noc pallium.

EUTYCHUS : Mane, mane, Charine.

CHARINUS : Erras : me decipere es haud potis.

EUTYCHUS : Neque volo edepol.

CHARINUS : Quin tu ergo itiner exsequi meum me sinis?

EUTYCHUS : Non sino.

CHARINUS : Egomet me moror. Tu, puere, abi hinc intro ocus.

Iam in currum conscendi; iam lora in manus cepi meas.

EUTYCHUS : Sanus non es.

CHARINUS : Quin, pedes, vos in curriculum coniicitis

In Cyprum recta, quandoquidem pater mihi exsilium parat?

EUTYCHUS : Stultus es; noli istuc, quaeso, dicere.

CHARINUS : Ah, certum, exsequist,

Operam ut sumam ad pervestigandum, ubi sit illacc.

935

EUTYCHUS : Quin domist.

CHARINUS : Nam hic quod dixit, id mentitust.

EUTYCHUS : Vera dixi equidem tibi.

CHARINUS : Iam Cyprum veni.

EUTYCHUS : Quin sequere, ut illam videas, quam expetis.

CHARINUS : Percontatus non inveni.

EUTYCHUS : Matris iam iram neglege.

CHARINUS : Porro proficiscor quaesitum. Nunc perveni Chalcidem.

Video ibi hospitem Zacyntho; dico, quid eo advenerim;

940

Rogito, quis avexerit, quis habeat, si inaudiverit.

EUTYCHUS : Quin tu istas omittis nugae ac mecum huc intro ambulas?

CHARINUS : Hospes respondit Zacyntho ficos fieri non malas.

EUTYCHUS : Nil mentitust.

CHARINUS : Sed de amica se inaudivisse autumat

Hic Athenis esse.

945

EUTYCHUS : Calchas iste quidem Zacynthiust.

CHARINUS : Navem conscendo; proficiscor ilico; iam sum domi;

Iam redii de exsilio. Salve, mi sodalis Eutyche!

Ut valuisti? Quid parentes mei? Valent mater, pater?

Bene vocas, benigne dicis. Cras apud te; nunc domi;

Sic, decet, sic fieri oportet.

950

EUTYCHUS : Eia, quae mihi somnias?

Hic homo non sanust.

CHARINUS : Medicari amicus quin properas mihi?

EUTYCHUS : Sequere, sis.

CHARINUS : Sequor.

EUTYCHUS : Clementer, quaeso; calces deteris.

## MILES GLORIOSUS

### PYRGOPOLINICES CUM SATELLITIBUS. ARTOTROGUS

- PYRGOPOLINICES : Curate ut splendor meo sit clupeco clarior,  
 Quam solis radii esse olim, quom sudumst,  
 Ut, ubi usus veniat, contra conserta manu  
 Praestringat oculorum aciem in acie hostibus.  
 Nam ego hanc machaeram mihi consolari volo, 5  
 Ne lamentetur neve animum despondeat,  
 Quia se iampridem feriatam gestitem,  
 Quae misera gestit fartum facere ex hostibus.  
 Sed ubi 'Artotrogus hic est?
- ARTOTROGUS : Stat propter virum 10  
 Fortem atque fortunatum et forma regia.  
 Tam bellatorem Mars se haud ausit dicere,  
 Neque aequiperare suas virtutes ad tuas.
- PYRGOPOLINICES : Quemne ego servavi in campis curculis donis,  
 Ubi Bombomachides Clutumistharidysarchides 15  
 Erat imperator summus, Neptuni nepos?
- ARTOTROGUS : Memini : nempe illum dicis cum armis aureis,  
 Quoius tu legiones difflavisti spiritu,  
 Quasi ventus folia aut paniculum tectorium.
- PYRGOPOLINICES : Istuc quidem edepol nihil est.
- ARTOTROGUS : Nihil hercle hoc quidemst, 20  
 Praeut alia dicam, — quae tu numquam feceris!  
 Periuriorem hoc hominem si quis viderit  
 Aut gloriarum plenior, quam illic est :  
 Me sibi is habeto : egomet me ei mancupio dabo —  
 Nisi unum : epityrum illi estur insane bene!
- PYRGOPOLINICES : Ubi tu es? 25
- ARTOTROGUS : Eccum, edepol vel elephanto in India  
 Quo pacto pugno praefregisti brachchium.



- PYRGOPOLINICES : Quid? bracchium?  
 ARTOTROGUS : Illud dicere volui, femur.  
 PYRGOPOLINICES : At indiligenter iceram.  
 ARTOTROGUS : Pol si quidem,  
     Conisus esses, per corium, per viscera  
     Perque os elephanti transmineret bracchium. 30  
 PYRGOPOLINICES : Nolo istaec hic nunc.  
 ARTOTROGUS : Ne hercle operae pretium quidemst  
     Mihi te narrare, tuas qui virtutes sciam.  
     Venter creat omnis hasce aerumnas : auribus  
     Perhauriunda sunt, ne dentes dentiant,  
     Et adsentandumst, quicquid hic mentibitur. 35  
 PYRGOPOLINICES : Quid illuc quod dico?  
 ARTOTROGUS : Ehem, scio iam quid vis dicere :  
     Factum herclest : meminisci fieri. 37  
 PYRGOPOLINICES : Quid id est?  
 ARTOTROGUS : Quicquid est.  
 PYRGOPOLINICES : Ecquid meministi? 42  
 ARTOTROGUS : Memini : centum in Cilicia  
     Et quinquaginta, centum in Scytholatronia,  
     Triginta Sardi, sexaginta Macedones  
     Sunt, omnes quos tu occidisti una uno die.  
 PYRGOPOLINICES : Quanta istaec hominum summast?  
 ARTOTROGUS : Septem milia.  
 PYRGOPOLINICES : Tantum esse oportet : recte rationem tenes.  
 ARTOTROGUS : At nullos habeo scriptos : sic meminisci tamen.  
 PYRGOPOLINICES : Edepol memoria's optuma.  
 ARTOTROGUS : Offae monent.  
 PYRGOPOLINICES : Dum tale facies, quale adhuc, adsiduo edes : 50  
     Communicabo semper te mensa mea.  
 ARTOTROGUS : Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos simul,  
     Ni hebes machaera foret, uno ictu occideras?  
 PYRGOPOLINICES : At peditastelli quia erant, sivi viverent.  
 ARTOTROGUS : Quid ego dicam, quod omnes mortales sciunt, 55  
     Te, Pyrgopolinicum, unum in terra vivere  
     Virtute et forma et factis invictissimum?  
     Amant te omnes mulieres, neque iniuria,  
     Qui sis tam pulcher. Vel illae, quae heri pallio  
     Me reprehenderunt.  
 PYRGOPOLINICES : Quid eae dixerunt tibi? 60  
 ARTOTROGUS : Rogitabant : 'hicin' Achilles est?  
     'Immo eiust frater'inquam. ibi illarum altera :  
     'Ergo mecastor pulcher est' inquit mihi  
     'Et liberalis, vide, caesaries quam decet.  
 PYRGOPOLINICES : Itane aibant tandem?  
 ARTOTROGUS : Quae'n' me ambae opsecraverint,  
     Ut te hodie quasi pompam illac praeterducerem?  
 PYRGOPOLINICES : Nimiast miseria, nimis pulcrum esse hominem.

ARTOTROGUS : 'Immo itast :

Molestae sunt : orant, ambiunt, exopsecrant,

Videre ut liceat : ad sese accersi iubent :

70

Ut tuo non liceat operam dare negotio.

71

PYRGOPOLINICES : Haben —

38

ARTOTROGUS : Tabellas? vis rogare? habeo, et stilum.

PYRGOPOLINICES : Facete advortis tuom animum ad animum  
meum.

39

ARTOTROGUS : Novisse mores tuos me meditare decet,

40

Curamque adhibere, ut pracolat mihi quod tu velis.

41

PYRGOPOLINICES : Videtur tempus esse ut eamus ad forum :

72

Ut in tabellis quos consignavi hic heri

Latrones, ibus dinumerem stipendium.

Nam rex Seleucus me opere oravit maxumo,

75

Ut sibi latrones cogere et conscriberem.

Regi hunc diem mihi operam decretumst dare.

ARTOTROGUS : Age eamus ergo.

PYRGOPOLINICES : Sequimini satellites.

## MOSTELLARIA

### PHILOLACHES :

Novarum aedium esse arbitror similem ego hominem, 91  
Quando hic natus est; ei rei argumenta dicam.

.....

Aedes quom extemplo sunt paratae, expolitae, 101  
Factae probe examussim,

Laudant fabrum atque aedis probant; sibi quisque  
inde exemplum expetunt;

Sibi quisque similis volt suas; sumptus, operam haud  
parcunt suam.

Atque ubi ille inmigrat nequam homo, indiligens, 105

Cum pigra familia, imundus, instrenuos,

Hic iam aedibus vitium additur, bonae quom curantur male.

Atque illud saepe fit : tempestas venit,

Confringit tegulas imbricesque; ibi



- Dominus indiligens reddere alias nevolt. 110  
 Venit imber, lavit parietes : perpluont ;  
 Tigna putrefacit, perdit operam fabri ;  
 Nequior factus iam est usus aedium.  
 Atque ea haud est fabri culpa ; sed magna pars  
 Morem hunc induxerunt : si quid nummo sarciri potest, 115  
 Usque mantant, neque id faciunt donicum  
 Parietes ruont. Aedificantur aedes totae denuo.  
 Haec argumenta ego aedificiis dixi ; nunc etiam volo  
 Dicere, ut homines aedium esse similis arbitremini.  
 Primumdum parentes fabri liberum sunt ; 120  
 Ei fundamentum substruont liberorum ;  
 Extollunt ; parant sedulo in firmitatem  
 Et, ut in usum boni et in speciem populo sint  
 Sibi que, haud materiae reparcunt,  
 Nec sumptus sibi sumptui esse ducunt ; 125  
 Expoliunt, docent litteras, iura, leges sumptu suo et labore.  
 Nituntur, ut alii sibi esse illorum similis expetant.  
 Ad legionem adminiculum eis danunt  
 Tum iam aliquem cognatum suom. 130  
 Eatenus abeunt a fabris. Unum ubi emeritumst stipendium,  
 Igitur tum specimen cernitur, quo eveniat aedificatio.  
 Nam ego ad illud frugi usque et probus fui,  
 In fabrorum potestate dum fui.  
 Posteaquam inmigravi in ingenium meum, 135  
 Perdidi operam fabrorum ilico oppido.  
 Venit ignavia ; ea mihi tempestas fuit :  
 Mihi adventu suo grandinem imbremque adtulit.  
 Haec verecundiam mihi et virtutis modum  
 Deturbavitque detexitque a me ilico. 140  
 Postilla me obtigere iam neglegens fui.  
 Continuo pro imbre amor advenit :  
 Is usque in pectus permanavit, permadefecit cor meum.  
 Nunc simul res, fides, fama, virtus, decus,  
 Deseruerunt ; ego sum in usum factus nimio nequior. 145  
 Atque ita edepol tigna umiditate putent : non videor mihi  
 Sarcire posse aedis meas, quin totae perpetuae ruant,  
 Quom fundamenta perierint nec quisquam esse auxilio queat.  
 Cor dolet, quom scio ut nunc sum atque ut fui ;  
 Quo neque industrior de iuventute erat 150  
 Quisquam nec clarior arte gymnastica,  
 Disco, hastis, pila, cursu, armis, equo.  
 Meo animo haud victitabam volup ;  
 Parsimonia et duritia disciplinae aliis eram :  
 Optumi quique expetebant a me doctrinam sibi. 155  
 Nunc, postquam nihili sum, id vero meopte ingenio repperi.

## RUDENS

## PISCATORES

Omnibus modis, qui pauperes sunt homines, miseri vivont, Praesertim quibus nec quaestus est, nec artem didicere ullam. Necessitate, quidquid est domi, id sat est habendum.	290
Nos iam de ornatu propemodum, ut locupletes simus, scitis. Hic hami atque haec harundines sunt nobis quaestu et cultu. Cotidie ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum.	295
Pro exercitu gymnastico et palaestrico hoc habemus : Echinos, lopadas, ostreas, balanos captamus, conchas, Marinam urticam, musculos, plagusias striatas. Post id piscatum hamatilem et saxatilem adgredimur, Cibum captamus e mari. Si eventus non evenit	300
Neque quicquam captumst piscium, salsi lautique pure Domum redimus clanculum, dormimus incenati. Atque, ut nunc valide fluctuat mare, nulla nobis spes est : Nisi quid concharum capsimus, cenati sumus profecto. Nunc Venerem hanc veneremur bonam, ut nos lepide adiuverit hodie.	305



*P. Terentius Afer*

(cca. 185 — 159 î.e.n.)

**EUNUCHUS**

**I.**

**GNATHO, PARMENO**

**GNATHO** : Di immortales, homini homo quid praestat? stulto

Quid interest? Hoc adeo ex hac re venit in mentem  
intellegens  
mihi :

Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque  
ordinis,

Hominem haud impurum, itidem patria qui  
abligurrierat bona ;

Video sentum, squalidum, aegrum, pannis annisque  
obsitum.

235

- 'Quid istuc, inquam, 'ornatist? „Quoniam miser,  
 quod habui, perdidit, em  
 Quo redactus sum. Omnes noti me atque amici deserunt."  
 Hic ego illum contempsi prae ine : 'Quid, homo', inquam,  
 'ignavissime?'
- Itan parasti'te, ut spes nulla relicua in te sit tibi? 240  
 Simul consilium cum re amisti? Viden me ex eodem  
 ortum loco?  
 Qui color, nitor, vestitus, quae habitudost corporis?  
 Omnia habeo, neque quicquam habeo; nil quom est,  
 nil deficit tamen'.  
 „At ego infelix neque ridiculus esse neque plagas pati  
 Possum“. 'Quid? tu his rebus credis fieri? Tota erras 245  
 via.  
 Olim isti fuit generi quondam quaestus apud saeculum  
 prius.  
 Hoc novomst aucupium; ego adeo hanc primus inveni viam.  
 Est genus hominum, qui esse primos se omnium  
 rerum volunt.  
 Nec sunt; hos consector; hisce ego non paro me, ut rideant,  
 Sed eis ultro adrideo et eorum ingenia admiror simul. 250  
 Quidquid dicunt, laudo; id rursus si negant, laudo  
 id quoque;  
 Negat quis : nego; ait : aio; postremo imperavi egomet mihi  
 Omnia adsentari. Is quaestus nunc est multo uberrimus.'
- PARMENO : Scitum hercle hominem! hic homines prorsus ex stultis  
 insanos facit.
- GNATHO : Dum haec loquimur, interea loci ad macellum ubi  
 adventamus, 255  
 Concurrunt laeti mi obviam cuppedinarii omnes,  
 Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores,  
 Quibus et re salva et perdita profueram et prosum saepe;  
 Salutant, ad cenam vocant, adventum gratulantur.  
 Ille ubi miser famelicus videt mi esse tantum honorem, 260  
 Tam facile victum. quaerere, ibi homo coepit me  
 obsecrare,  
 Ut sibi liceret discere id de me; sectari iussi,  
 Si potis est, tamquam philosophorum habent disciplinae  
 ex ipsis  
 Vocabula, parasiti ita ut Gnathonici vocentur.

## HEAUTON TIMORUMENOS

## I

## CHREMES, MENEDEMUS

- CHREMES : Quamquam haec inter nos nuper notitia admodumst,  
 Inde adeo quom agrum in proxumo hic mercatus es,  
 Nec rei fere sane amplius quicquam fuit, 55  
 Tamen vel virtus tua me vel vicinitas,  
 Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,  
 Facit ut te audacter moneam et familiariter,  
 Quod mihi videre praeter aetatem tuam,  
 Facere et praeter quam res te adhortatur tua. 60  
 Nam pro deum atque hominum fidem, quid vis tibi?  
 Quid quaeris? Annos sexaginta natus es,  
 Aut plus eo, ut conicio; agrum in his regionibus  
 Meliorem neque preti maioris nemo habet :  
 Servos compluris : proinde quasi nemo siet, 65  
 Ita attente tute illorum officia fungere.  
 Numquam tam mane egredior neque tam vesperi  
 Domum revortor, quin te in fundo conspicer  
 Fodere aut arare aut aliquid ferre. Denique  
 Nullum remittis tempus neque te respicis. 70  
 Haec non voluptati tibi esse satis certo scio,  
 „Enim, dices, quantum hic operis fiat, paenitet“.  
 Quod in opere faciundo operae consumis tuae,  
 Si sumas in illis exercendis, plus agas.
- MENEDEMUS : Chremes, tantumne ab re tuast oti tibi, 75  
 Aliena ut cures, ea, quae nil ad te attinent?
- CHREMES : Homo sum : humani nil a me alienum puto.  
 Vel me monere hoc vel percontari puta :  
 Rectumst, ego ut faciam ; non est, te ut deterream.
- MENEDEMUS : Mihi sic est usus ; tibi ut opus factost, face. 80
- CHREMES : An quoiquamst usus homini, se ut cruciet?
- MENEDEMUS : Mihi.
- CHREMES : Si quid laborist, nollem. Sed quid istuc malist?  
 Quaeso, quid de te tantum commeruisti?
- MENEDEMUS : Eheu!
- CHREMES : Ne lacruma, atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam :  
 Ne retice, ne verere ; crede, inquam, mihi : 85  
 Aut consolando aut consilio aut re iuvero.
- MENEDEMUS : Scire hoc vis?



- CHREMES : Hac quidem causa, qua dixi tibi.  
 MENEDEMUS : Dicetur.  
 CHREMES : At istos rastros interea tamen  
 Adpone ; ne labora.  
 MENEDEMUS : Minume.  
 CHREMES : Quam rem agis?  
 MENEDEMUS : Sine me, vacivom tempus ne quod dem mihi 90  
 Laboris.  
 CHREMES : Non sinam, inquam.  
 MENEDEMUS : Ah, non aequom facis.  
 CHREMES : Hui, tam gravis hos, quaeso?  
 MENEDEMUS : Sic meritumst meum.  
 CHREMES : Nunc loquere.  
 MENEDEMUS : Filium unicum adolescentulum  
 Habeo. Ah, quid dixi, habere me? Immo habui, Chremes ;  
 Nunc habeam necne incertumst. 95  
 CHREMES : Quid ita istuc?  
 MENEDEMUS : Scies.  
 Est e Corintho hic advena anus paupercula ;  
 Eius filiam ille amare coepit perditte,  
 Prope iam ut pro uxore haberet ; haec clam me omnia.  
 Ubi rem rescivi, coepi non humanitus,  
 Neque ut animum decuit aegrotum adolescentuli, 100  
 Tractare, sed vi et via pervolgata patrum.  
 Cottidie accusabam : „Hem, tibine haec diutius  
 Licere speras facere me vivo patre,  
 Amicam ut habeas prope iam in uxoris loco?  
 Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia. 105  
 Ego te meum esse dici tantisper volo,  
 Dum, quod te dignumst, facies ; sed si id non facis,  
 Ego quod me in te sit facere dignum invenero.  
 Nulla adeo ex re istuc fit nisi ex nimio otio.  
 Ego istuc aetatis non amoris operam dabam, 110  
 Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem atque ibi  
 Simul rem et gloriam armis belli repperi“.  
 Postremo adeo res rediit : adolescentulus  
 Saepe eadem et graviter audiendo victus est ;  
 Aetate me putavit et sapientia 115  
 Plus scire et providere quam se ipsum sibi :  
 In Asiam ad regem militatum abiit, Chremes.  
 CHREMES : Quid ais?  
 MENEDEMUS : Clam me profectus mensis tris abest.  
 CHREMES : Ambo accusandi ; etsi illud inceptum tamen 120  
 Animist pudentis signum et non instrenui.  
 MENEDEMUS : Ubi comperi ex eis, qui fuere ei conscii,  
 Domum revortor maestus atque animo fere  
 Perturbato atque incerto prae aegritudine.  
 Adsido : adcurrunt servi, soccos detrahunt ;

## HEAUTON TIMORUMENOS

## I

## CHREMES, MENEDEMUS

- CHREMES : Quamquam haec inter nos nuper notitia admodumst,  
 Inde adeo quom agrum in proxumo hic mercatus es,  
 Nec rei fere sane amplius quicquam fuit, 55  
 Tamen vel virtus tua me vel vicinitas,  
 Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,  
 Facit ut te audacter moneam et familiariter,  
 Quod mihi videre praeter aetatem tuam,  
 Facere et praeter quam res te adhortatur tua. 60  
 Nam pro deum atque hominum fidem, quid vis tibi?  
 Quid quaeris? Annos sexaginta natus es,  
 Aut plus eo, ut conicio; agrum in his regionibus  
 Meliorem neque preti maioris nemo habet :  
 Servos compluris : proinde quasi nemo siet, 65  
 Ita attente tute illorum officia fungere.  
 Numquam tam mane egredior neque tam vesperi  
 Domum revortor, quin te in fundo conspicer  
 Fodere aut arare aut aliquid ferre. Denique  
 Nullum remittis tempus neque te respicis. 70  
 Haec non voluptati tibi esse satis certo scio,  
 „Enim, dices, quantum hic operis fiat, paenitet“.  
 Quod in opere faciundo operac consumis tuae,  
 Si sumas in illis exercendis, plus agas.
- MENEDEMUS : Chremes, tantumne ab re tuast oti tibi, 75  
 Aliena ut cures, ea, quae nil ad te attinent?
- CHREMES : Homo sum : humani nil a me alienum puto.  
 Vel me monere hoc vel percontari puta :  
 Rectumst, ego ut faciam ; non est, te ut deterream.
- MENEDEMUS : Mihi sic est usus ; tibi ut opus factost, face. 80
- CHREMES : An quoiquamst usus homini, se ut cruciet?
- MENEDEMUS : Mihi.
- CHREMES : Si quid laborist, nollem. Sed quid istuc malist?  
 Quaeso, quid de te tantum commeruisti?
- MENEDEMUS : Eheu!
- CHREMES : Ne lacruma, atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam :  
 Ne retice, ne verere ; crede, inquam, mihi : 85  
 Aut consolando aut consilio aut re iuvero.
- MENEDEMUS : Scire hoc vis?

- CHREMES : Hac quidem causa, qua dixi tibi.  
 MENEDEMUS : Dicitur.  
 CHREMES : At istos rastros interea tamen  
 Adpone; ne labora.  
 MENEDEMUS : Minume.  
 CHREMES : Quam rem agis?  
 MENEDEMUS : Sine me, vacivom tempus ne quod dem mihi 90  
 Laboris.  
 CHREMES : Non sinam, inquam.  
 MENEDEMUS : Ah, non aequom facis.  
 CHREMES : Hui, tam gravis hos, quaeso?  
 MENEDEMUS : Sic meritumst meum.  
 CHREMES : Nunc loquere.  
 MENEDEMUS : Filium unicum adolescentulum  
 Habeo. Ah, quid dixi, habere me? Immo habui, Chremes;  
 Nunc habeam necne incertumst. 95  
 CHREMES : Quid ita istuc?  
 MENEDEMUS : Scies.  
 Est e Corintho hic advena anus paupercula;  
 Eius filiam ille amare coepit perditte,  
 Prope iam ut pro uxore haberet; haec clam me omnia.  
 Ubi rem rescivi, coepi non humanitus,  
 Neque ut animum decuit aegrotum adolescentuli, 100  
 Tractare, sed vi et via pervolgata patrum.  
 Cottidie accusabam: „Hem, tibine haec diutius  
 Licere speras facere me vivo patre,  
 Amicam ut habeas prope iam in uxoris loco?  
 Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia. 105  
 Ego te meum esse dici tantisper volo,  
 Dum, quod te dignumst, facies; sed si id non facis,  
 Ego quod me in te sit facere dignum invenero.  
 Nulla adeo ex re istuc fit nisi ex nimio otio.  
 Ego istuc aetatis non amori operam dabam, 110  
 Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem atque ibi  
 Simul rem et gloriam armis belli repperi“.  
 Postremo adeo res rediit: adolescentulus  
 Saepe eadem et graviter audiendo victus est;  
 Aetate me putavit et sapientia 115  
 Plus scire et providere quam se ipsum sibi:  
 In Asiam ad regem militatum abiit, Chremes.  
 CHREMES : Quid ais?  
 MENEDEMUS : Clam me profectus mensis tris abest.  
 CHREMES : Ambo accusandi; etsi illud inceptum tamen 120  
 Animist pudentis signum et non instrenui.  
 MENEDEMUS : Ubi comperi ex eis, qui fuere ei conscii,  
 Domum revortor maestus atque animo fere  
 Perturbato atque incerto prae aegritudine.  
 Adsido: adcurrunt servi, soccos detrahunt;



- Video alios festinare lectos sternere, 125  
 Cenam adparare : pro se quisque sedulo  
 Faciebant, quo illam mihi lenirent miseriam.  
 Ubi video, haec coepi cogitare : „Hem, tot mea  
 Solius solliciti sint causa, ut me unum expleant?  
 Ancillae tot me vestiant? Sumptus domi 130  
 Tantos ego solus faciam? Sed gnatum unicum,  
 Quem pariter uti his decuit aut etiam amplius,  
 Quod illa aetas magis ad haec utenda idoneast,  
 Eum ego hinc eieci miserum iniustitia mea!  
 Malo quidem me quovis dignum deputem, 135  
 Si id faciam. Nam usque dum ille vitam illam colet  
 Inopem, carens patria ob meas iniurias,  
 Interea usque illi de me supplicium dabo,  
 Laborans, parcens, quaerens, illi serviens.  
 Ita facio prorsus : nil relinquo in aedibus. 140  
 Nec vās nec vestimentum : conrasi omnia.  
 Ancillas, servos, nisi eos qui opere rustico  
 Faciundo facile sumptum exercirent suum.  
 Omnis produxi ac vendidi. Inscripti ilico  
 Aedis mercede. Quasi talenta ad quindecim 145  
 Coegi ; agrum hunc mercatus sum ; hic me exerceo.  
 Decevi tantisper me minus iniuriae,  
 Chremes, meo gnato facere, dum fiam miser ;  
 Nec fas esse ulla me voluptate hic frui,  
 Nisi ubi ille huc salvos redierit meus particeps. 150
- CHREMES** : Ingenio te esse in liberos leni puto,  
 Et illum obsequentem, si quis recte aut commode  
 Tractaret. Verum nec tu illum satis noveras,  
 Nec te ille ; hoc quom fit, ibi non vere vivitur.  
 Tu illum numquam ostendisti quanti penderes, 155  
 Nec tibi illest credere ausus, quae est aequom patri.  
 Quod si esset factum, haec numquam evenissent tibi.
- MENEDEMUS** : Ita res est, fateor : peccatum a me maxumumst.  
**CHREMES** : Menedeme, at porro recte spero, et illum tibi  
 Salvom adfuturum esse hic confido propediem. 160
- MENEDEMUS** : Utinam ita di faxint !  
**CHREMES** : Facient. Nunc, si commodumst,  
 Dionysia hic sunt hodie : apud me sis volo.  
**MENEDEMUS** : Non possum.  
**CHREMES** : Quor non? quaeso, tandem aliquantulum  
 Tibi parce : idem absens facere te hoc volt filius.  
**MENEDEMUS** : Non convenit, qui illum ad laborem hinc pepulerim, 165  
 Nunc me ipsum fugere.  
**CHREMES** : Sicine est sententia?  
**MENEDEMUS** : Sic.  
**CHREMES** : Bene vale.  
**MENEDEMUS** : Et tu.

CHREMES : Lacrimas excussit mihi  
 Miseretque me eius. Sed ut diei tempus est,  
 Tempust monere me hunc vicinum Phanium,  
 Ad cenam ut veniat : ibo, visam, si domist. 170  
 Nil opus fuit monitore : iam dudum domi  
 Praesto apud me esse aiunt. Egomet convivas moror.

## PHORMIO

DEMIPHO, HEGIO, CRATINUS, CRITO, PHORMIO, GETA

DEMIPHO : Enumquam quoiquam contumeliosius  
 Audistis factam iniuriam, quam haec est mihi?  
 Adeste, quaeso. 350  
 GETA : Iratus est.  
 PHORMIO : Quin tu hoc age :  
 Iam ego hunc agitabo. — Pro deum immortalium,  
 Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?  
 Hanc Demipho negat esse cognatam?  
 GETA : Negat.  
 PHORMIO : Neque eius patrem se scire, qui fuerit?  
 GETA : Negat.  
 DEMIPHO : Ipsum esse opinor, de quo agebam : sequimini. 355  
 (PHORMIO : Nec Stilponem ipsum scire, qui fuerit?  
 GETA : Negat).  
 PHORMIO : Quia egens relictast misera, ignoratur parens,  
 Neclegitur ipsa : vide, avaritia quid facit.  
 GETA : Si erum insimulabis malitiae, male audies.  
 DEMIPHO : O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit. 360  
 PHORMIO : Nam iam adulescenti nihil est, quod suscenseam,  
 Si illum minus norat ; quippe homo iam grandior,  
 Pauper, quoi in opere vita erat, ruri fere  
 Se continebat ; ibi agrum de nostro patre  
 Colendum habebat. Saepe interea mihi senex 365  
 Narrabat se hunc neglegere cognatum suom.  
 At quem virum! quem ego viderim in vita optimum.  
 GETA : Videas te, atque illum (ut) narras!

- PHORMIO : I in malam crucem!  
 Nam ni cum esse existumassem, numquam tam gravis  
 Ob hanc inimicitias caperem in vostram familiam, 370  
 Quam is aspernatur nunc tam inliberaliter.
- GETA : Pergin ero absenti male loqui, inpurissime?  
 PHORMIO : Dignum autem hoc illost.  
 GETA : Ain tandem, carcer?  
 DEMIPHO : Geta.  
 GETA : Bonorum extertor, legum contortor?  
 DEMIPHO : Geta. 375  
 PHORMIO : Responde.  
 GETA : Quis homost? Ehem.  
 DEMIPHO : Tace.  
 GETA : Absenti tibi  
 Te indignas seque dignas contumelias  
 Numquam cessavit dicere hodie.  
 Adulescens, primum abs te hoc bona venia peto,  
 Si tibi placere potis est, mi ut respondeas :  
 Quem amicum tuom ais fuisse istum, explana mihi, 380  
 Et qui cognatum me sibi esse diceret.
- PHORMIO : Proinde expiscare, quasi non nesses.  
 DEMIPHO : Nossem?  
 PHORMIO : Ita.  
 DEMIPHO : Ego me nego : tu, qui ais, redige in memoriam.  
 PHORMIO : Eho tu, sobrinum tuom non noras?  
 DEMIPHO : Enicas. 385  
 Dic nomen.
- PHORMIO : Nomen? maxume.  
 DEMIPHO : Quid nunc taces?  
 PHORMIO : Perii hercle, nomen perdidi.  
 DEMIPHO : Quid ais?  
 PHORMIO : Geta,  
 Si meministi id, quod olim dictumst, subiice. — Hem,  
 Non dico : quasi non nesses, temptatum advenis.
- DEMIPHO : Ego autem tempto?  
 GETA : Stilpo.  
 PHORMIO : Atque adeo quid mea? 390  
 Stilpost.
- DEMIPHO : Quem dixti?  
 PHORMIO : Stilponem, inquam, noveras.  
 DEMIPHO : Neque ego illum noram, neque mi cognatus fuit  
 Quisquam istoc nomine.  
 PHORMIO : Itane? non te horum pudet?  
 Ad si talentum rem reliquisset decem...  
 DEMIPHO : Di tibi malefaciant!  
 PHORMIO : Primus esses memoriter 395  
 Progeniem vostram usque ab avo atque atavo proferens.



- DEMIPHO : Ita, ut dicis. Ego tum, quom advenissem, qui mihi  
Cognata ea esset, dicerem : itidem tu face.  
Cedo, qui est cognata?
- GETA : Eu, noster, recte. Heus tu, cave.
- PHORMIO : Dilucide expedivi, quibus me oportuit,  
Iudicibus : tum, id si falsum fuerat, filius 400  
Quor non refellit?
- DEMIPHO : Filium narras mihi?  
Quoius de stultitia dici, ut dignumst, non potest.
- PHORMIO : At tu, qui sapiens es, magistratus adi,  
Iudicium de eadem causa iterum ut reddant tibi,  
Quandoquidem solus regnas et soli licet 405  
Hic de eadem causa bis iudicium apiscier.
- DEMIPHO : Etsi mihi facta iniuriast, verum tamen,  
Potius quam litis secter aut quam te audiam,  
Itidem ut cognata si sit, id, quod lex iubet,  
Dotis dare, abduc hanc, minas quinque accipe. 410
- PHORMIO : Hahaha, homo suavis.
- DEMIPHO : Quid est? num iniquom postulo?  
An ne hoc quidem ego adipiscar, quod ius publicumst?
- PHORMIO : Itan tandem, quaeso, item ut meretricem ubi  
abusus sis,  
Mercedem dare lex iubet ei atque amittere?  
An, ut ne quid turpe civis in se admitteret 415  
Propter egestatem, proxumo iussast dari,  
Ut cum uno aetatem degeret? quod tu vetas.
- DEMIPHO : Ita, proxumo quidem; at nos unde? aut quam ob rem?
- PHORMIO : Ohe,  
„Actum, aiunt, ne agas“.
- DEMIPHO : Non agam? immo haud desinam,  
Donec perfecero hoc. 420
- PHORMIO : Ineptis.
- DEMIPHO : Sine modo.
- PHORMIO : Postremo tecum nil rei nobis, Demipho, est;  
Tuos est damnatus gnatus, non tu; nam tua  
Praeterierat iam ad ducendum aetas.
- DEMIPHO : Omnia haec  
Illum putato, quae ego nunc dico, dicere;  
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo. 425
- GETA : Iratus est.
- PHORMIO : Tu te idem melius feceris.
- DEMIPHO : Itan es paratus facere me adversum omnia,  
Infelix?
- PHORMIO : Metuit hic nos, tam etsi sedulo  
Dissimulat.
- GETA : Bene habent tibi principia

- PHORMIO : Quin, quod est  
 Ferundum, fers? Tuis dignum factis feceris,  
 Ut amici inter nos simus. 430
- DEMIPHO : Egon tuam expetam  
 Amicitiam? aut te visum aut auditum velim?
- PHORMIO : Si concordabis cum illa, habebis quae tuam  
 Senectutem oblectet : respice aetatem tuam.
- DEMIPHO : Te oblectet ; tibi habe. 435
- PHORMIO : Minue vero iram.
- DEMIPHO : Hoc age ;  
 Satis iam verborumst : nisi tu properas mulierem  
 Abducere, ego illam eiiciam. Dixi, Phormio.
- PHORMIO : Si tu illam attigeris secus quam dignumst liberam,  
 Dicam tibi inpingam grandem. Dixi, Demipho.  
 Si quid opus fuerit, heus, domo me... 440
- GETA : Intellego.

DEMIPHO, GETA, HEGIO, CRATINUS, CRITO

- DEMIPHO : Quanta me cura et sollicitudine adfcit  
 Gnatus, qui me et se hisce inpediuit nuptiis!  
 Neque mi in conspectum prodit, ut saltem sciam  
 Quid de ea re dicat quidve sit sententiae.  
 Abi, vise redieritne iam an nondum domum. 445
- GETA : Eo.
- DEMIPHO : Videtis, quo in loco res haec siet :  
 Quid ago? dic, Hegio.
- HEGIO : Ego? Cratinum censeo,  
 Si tibi videtur.
- DEMIPHO : Dic, Cratine.
- CRATINUS : Mene vis?
- DEMIPHO : Te.
- CRATINUS : Ego, quae in rem tuam sint, ea velim facias.  
 Mihi.  
 Sic hoc videtur ; quod te absente hic filius  
 Egit, restitui in integrum aequumst et bonum. 450
- DEMIPHO : Et id impetrabis. Dixi.  
 Dic nunc, Hegio.
- HEGIO : Ego sedulo hunc dixisse credo ; verum itast,  
 Quot homines, tot sententiae : suos quoique mos.  
 Mihi non videtur, quod sit factum legibus,  
 Rescindi posse ; et turpe inceptust. 455
- DEMIPHO : Dic, Crito.
- CRITO : Ego amplius deliberandum censeo :  
 Res magnast.
- HEGIO : Num quid nos vis?
- DEMIPHO : Fecistis probe.  
 Incertior sum multo quam dudum.

# *C. Iulius Caesar*

(100 — 44 i.e.n.)

## COMMENTARII DE BELLO GALLICO

### LIBER SEXTUS

#### **Obiceiurile Galilor**

XI. 1. Quoniam ad hunc locum perventum est, non alienum esse videtur de Galliae Germaniaeque moribus, et, quo differant hae nationes inter sese, proponere. 2. In Gallia, non solum in omnibus civitatibus atque in omnibus pagis partibusque, sed paene etiam in singulis domibus factiones sunt; 3. earumque factionum principes sunt qui summam auctoritatem eorum iudicio habere existimantur, quorum ad arbitrium iudiciumque summa omnium rerum consiliorumque redeat. 4. Idque eius rei causa antiquitus institutum videtur, ne quis ex plebe contra potentiorum auxilium egeret: suos enim quisque opprimi et circumveniri non patitur, neque, aliter si faciat, ullam inter suos habet auctoritatem. 5. Haec eadem ratio est in summa totius Galliae; namque omnes civitates in partes divisae sunt duas.



**XII.** 1. Cum Caesar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Haedui, alterius Sequani. 2. Hi, cum per se minus valerent, quod summa auctoritas antiquitus erat in Haeduis magnaue eorum erant clientelae, Germanos atque Ariovistum sibi adiunxerant cosque ad se magnis iacturis pollicitationibusque perduxerant. 3. Proeliis vero compluribus factis secundis atque omni nobilitate Haeduorum interfecta, tantum potentia antecesserant, 4. ut magnam partem clientium ab Haeduis ad se traducerent obsidesque ab iis principum filios acciperent, et publice iurare cogerent nihil se contra Sequanos consilii inituros, et partem finitimi agri per vim occupatam possiderent Galliaeque totius principatum obtinerent. 5. Qua necessitate adductus Diviciacus, auxilii petendi causa, Romam ad senatum profectus, imperfecta re redierat. 6. Adventu Caesaris facta commutatione rerum, obsidibus Haeduis redditis, veteribus clientelis restitutis, novis per Caesarem comparatis, — quod hi qui se ad eorum amicitiam aggregaverant, meliore conditione atque aequiore imperio se uti videbant, — reliquis rebus eorum gratia dignitateque amplificata, Sequani principatum dimiserant. 7. In eorum locum Remi successerant; quos quod adaequare apud Caesarem gratia intellegebatur, ii, qui propter veteres inimicitias nullo modo cum Haeduis coniungi poterant, se Remis in clientelam dicabant. 8. Hos illi diligenter tuebantur; ita et novam et repente collectam auctoritatem tenebant. 9. Eo tum statu res erat, ut longe principes haberentur Haedui, secundum locum dignitatis Remi obtinerent.

**XIII.** 1. In omni Gallia, eorum hominum qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo. Nam plebes paene servorum habetur loco, quae nihil audet per se, nullo adhibetur consilio. 2. Plerique, cum aut aere alieno, aut magnitudine tributorum, aut iniuria potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobilibus, quibus in hos eadem omnia sunt iura quae dominis in servos. 3. Sed de his duobus generibus alterum est Druidum, alterum Equitum. 4. Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur; ad eos magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrat, magnoque hi sunt apud eos honore. 5. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt, et, si quod est admissum facinus, si caedes facta, si de hereditate, si de finibus controversia est, idem decernunt, praemia poenasque constituunt; 6. si qui aut privatus aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicitur. Haec poena apud eos est gravissima. 7. Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur, his omnes decedunt, aditum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his potentibus ius redditur neque honos ullus communicatur. 8. His autem omnibus Druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. 9. Hoc mortuo, aut, si qui ex reliquis excellit dignitate, succedit, aut, si sunt plures pares, suffragio Druidum, nonnunquam etiam armis de principatu contendunt. 10. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique qui controversias habent conveniunt, eorumque decretis iudiciisque parent. 11

Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur; 12. et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur.

**XIV.** 1. Druides a bello abesse consuerunt, neque tributa una cum reliquis pendunt; militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem. 2. Tantis excitati praemiis, et sua sponte multi in disciplinam conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. 3. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur; itaque annos nonnulli vicanos in disciplina permanent. Neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Graecis litteris utantur. 4. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinam efferi velint, neque eos qui discunt, litteris confisos minus memoriae studere; quod fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. 5. In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios; atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. 6. Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant et iuventuti tradunt.

**XV.** 1. Alterum genus est Equitum. Hi, cum est usus atque aliquid bellum incidit — quod fere ante Caesaris adventum quotannis accidere solebat, uti aut ipsi iniurias inferrent, aut illatas propulsarent, — omnes in bello versantur; 2. atque eorum ut quisque est genere copiosiusque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

**XVI.** 1. Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus, 2. atque, ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in proeliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant aut se immolatuos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur, 3. quod, pro vita hominis nisi hominis vita reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur; publiceque eiusdem generis habent constituta sacrificia. 4. Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra visis hominibus complent; quibus succensis, circumventi flamma exanimantur homines. 5. Supplicia eorum, qui in furto aut in latrocinio aut aliqua noxa sint comprehensi, gratiora dis immortalibus esse arbitrantur; sed, cum eius generis copia defecit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.

**XVII.** 1. Deum maxime Mercurium colunt; huius sunt plurima simulacra; hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. 2. Post hunc, Apollinem et Martem et Iovem et Minervam. De his eandem fere quam reliquae gentes habent opinionem; Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum initia tradere, Iovem imperium caelestium tenere, Martem bella regere. 3. Huic, cum proelio dimicare constituerunt, ea, quae bello ceperint, plerumque devovent; cum superaverunt, animalia capta immolant reliquasque res in unum locum



conferunt. 4. Multis in civitatibus harum rerum extractos tumulos locis consecratis conspicari licet; 5. neque saepe accidit ut, neglecta quispiam religione, aut capta apud se occultare aut posita tollere auderet, gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

**XVIII.** 1. Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant, idque ab Druidibus proditum dicunt. 2. Ob eam causam, spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt; dies natales et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. 3. In reliquis vitae institutis, hoc fere ab reliquis differunt, quod suos liberos, nisi cum adoleverunt, ut munus militiae sustinere possint, palam ad se adire non patiuntur, filiumque puerili aetate in publico in conspectu patris assistere turpe ducunt.

**XIX.** 1. Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, aestimatione facta, cum dotibus communicant. 2. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur fructusque servantur; uter eorum vita superavit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. 3. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitae necisque habent potestatem et cum pater familiae illustriore loco natus decessit, propinqui eius conveniunt, et, de morte si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quaestionem habent, et, si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. 4. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa; omniaque, quae vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia; ac paulo supra hanc memoriam servi et clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis, una cremabantur.

**XX.** 1. Quae civitates commodius suam rem publicam administrare existimantur, habent legibus sanctum, si quis de re publica a finitimis rumore aut fama acceperit, 2. uti ad magistratum deferat neve cum quo alio communicet, quod saepe homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri et ad facinus impelli et de summis rebus consilium capere cognitum est. 3. Magistratus quae visa sunt occultant, quaeque esse ex usu iudicaverunt multitudini produnt. De re publica nisi per concilium loqui non conceditur.

### Obiceiurile germanilor

**XXI.** 1. Germani multum ab hac consuetudine differunt. Nam neque Druides habent, qui rebus divinis praesint, neque sacrificiis student. 2. Deorum numero eos solos ducunt quos cernunt et quorum aperte opibus iuvantur, Solem et Vulcanum et Lunam; reliquos ne fama quidem acceperunt. 3. Vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit; ab parvulis labori ac duritiae student.

**XXII.** 1. Agriculturae non student, maiorque pars eorum victus in lacte, caseo, carne consistit. 2. Neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui tum una coierunt, quantum et quo loco visum est agri attribuunt, atque anno post alio transire cogunt. 3. Eius rei multas afferunt causas: ne assidua consuetudine capti, studium belli gerendi



agricultura commutent; ne latos fines parare studeant potentioresque humiliores possessionibus expellant; ne accuratius ad frigora atque aestus vitandos aedificent; ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur; 4. ut animi aequitate plebem contineant, cum suas quisque opes cum potentissimis aequari videat.

**XXIII.** 1. Civitatibus maxima laus est quam latissime circum se vastatis finibus solitudines habere. 2. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope audere consistere; 3. simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinae incursionis timore sublato. 4. Cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur. 5. In pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt controversiasque minuunt. 6. Latrocinia nullam habent infamiam quae extra fines cuiusque civitatis fiunt atque ea iuventutis exercendae ac desidia minuendae causa fieri praedicant. 7. Atque, ubi quis ex principibus in concilio dixit: „se ducem fore, qui sequi velint profiteantur,“ consurgunt ii qui et causam et hominem probant, suumque auxilium pollicentur atque ab multitudine collaudantur; 8. qui ex his secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque his rerum postea fides derogatur. 9. Hospitem violare fas non putant; qui quaque de causa ad eos venerunt, ab iniuria prohibent, sanctos habent, hisque omnium domus patent victusque communicatur.

**XXIV.** 1. Ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent, ultro bella inferrent, propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. 2. Itaque, ea, quae fertilissima Germaniae sunt, loca circum Hercyniam silvam, — quam Eratostheni et quibusdam Graecis fama notam esse video, quam illi Orcyniam appellant, — Volcae Tectosages occupaverunt atque ibi consederunt; 3. quae gens ad hoc tempus his sedibus sese continet summamque habet iustitiae et bellicae laudis opinionem. 4. Nunc, quod in eadem inopia, egestate, patientia, qua ante, Germani permanent, eodem victu et cultu corporis utuntur, 5. Gallis autem Provinciarum propinquitas et transmarinarum rerum notitia multa ad copiam atque usum largitur, 6. paulatim assuefacti superari multisque victi proeliis, ne se quidem ipsi cum illis virtute comparant.

### **Pădurea Hercynia**

**XXV.** 1. Huius Hercyniae, quae supra demonstrata est, latitudo novem dierum iter expedito patet; non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum noverunt. 2. Oritur ab Helvetiorum et Nemetum et Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium; 3. hinc se flectit sinistrorsus, diversis ab flumine regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit; 4. neque quisquam est huius Germaniae qui se aut adisse ad intium eius silvae dicat, cum dierum iter LX processerit, aut, quo ex loco oriatur, acceperit; multaque in ea genera ferarum nasci constat, quae reliquis in locis visa non sint.

# *M. Tullius Cicero*

(106 — 43 i.e.n.)

## IN C. VERREM

### ACTIO PRIMA

#### Characterizarea lui Verres

IV. Etenim quod est ingenium tantum, quae tanta facultas dicendi aut copia, quae istius vitam tot vitiis flagitiisque convictam, iam pridem omnium voluntate iudicioque damnatam, aliqua ex parte possit defendere? II. Cuius ut adolescentiae maculas ignominiasque praeteream, quaestura, primus gradus honoris, quid aliud habet in se nisi Cn. Carbonem spoliatum a quaestore suo pecunia publica, nudatum et proditum consulem, desertum exercitum, relictam provinciam, sortis necessitudinem religionemque violatam? cuius legatio exitium fuit Asiae totius et Pamphylliae, quibus in provinciis multas domos, plurimas urbes, omnia fana depeculatus est, tum cum in Cn. Dolabellam suum scelus illud pristinum renovavit et instauravit quaestorium, cum eum, cui et legatus et pro quaestore fuisset, et in invidiam suis male-



ficiis adduxit, et in ipsis periculis non solum deseruit, sed etiam oppugnavit ac prodidit; 12. cuius praetura urbana aedium sacrarum fuit publicorumque operum depopulatio, simul in iure dicundo bonorum possessionumque contra omnium instituta addictio et condonatio.

Iam vero omnium vitiorum suorum plurima et maxima constituit monumenta et indicia in provincia Sicilia, quam iste per triennium ita vexavit ac perdidit ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit, vix autem per multos annos innocentesque praetores aliqua ex parte recreari aliquando posse videatur. 13. Hoc praetore Siculi neque suas leges neque nostra senatus consulta neque communia iura tenuerunt; tantum quisque habet in Sicilia quantum hominis avarissimi et libidinosissimi aut imprudentiam subterfugit aut satietati superfuit.

V. Nulla res per triennium nisi ad nutum istius iudicata est, nulla res tam patria cuiusquam atque avita fuit quae non ab eo imperio istius abiudicaretur. Innumerabiles pecuniae ex aratorum bonis novo nefarioque instituto coactae, socii fidelissimi in hostium numero existimati cives Romani servilem in modum cruciati et necati, homines nocentissimi propter pecunias iudicio liberati, honestissimi atque integerrimi absentes rei facti indicta causa damnati et eiecti, portus munitissimi, maximae tutissimaeque urbes piratis praedonibusque patefactae, nautae militesque Sicularum, socii nostri atque amici, fame necati, classes optimae atque opportunissimae cum magna ignominia populi Romani amissae et perditae.

## IN C. VERREM

### ACTIO SECUNDA

#### DE SIGNIS

#### „Copolii“ Iulii Verres

XIII. 30. Iam, ut haec omnia reperire ac perscrutari solitus sit, iudices, est operae pretium cognoscere. Cibyrae sunt fratres quidam, Tlepolemus et Hiero, quorum alterum fingere opinor e cera solitum esse, alterum esse pictorem. Hosce opinor, Cibyrae cum in suspicionem venissent suis civibus fanum expilasse Apollinis, veritos poenam iudicii ac legis, domo profugisse. Quod Verrem artificii sui cupidum cognoverant, tum, cum iste, id quod ex testibus didicistis, Cibynam cum inanibus syngraphis venerat, domo fugientes



ad eum se exules, cum iste esset in Asia, contulerunt. Habuit eos secum illo tempore et in legationis praedis atque furtis multum illorum opera consilioque usus est. 31. Hi sunt illi, quibus in tabulis refert sese Q. Tadius „dedisse iussu istius Graecis pictoribus“. Eos iam bene cognitos et re probatos secum in Siciliam duxit. Quo posteaquam venerunt, mirandum in modum (canes venaticos diceret), ita odorabantur omnia et pervestigabant, ut, ubi quidque esset, aliqua ratione invenirent. Aliud minando, aliud pollicendo, aliud per servos, aliud per liberos, per amicum aliud, aliud per inimicum, inveniebant; quicquid illis placuerat, perdendum erat. Nihil aliud optabant, quorum poscebatur argentum, nisi ut id Hieroni et Tlepolemo displiceret.

XIV. 32. Verum mehercule hoc, iudices, dicam. Memini Pamphilum Lilybitanum, amicum et hospitem meum, nobilem hominem, mihi narrare, cum iste ab sese hydriam Boethi manu factam praeclaro opere et grandi pondere per potestatem abstulisset, se sane tristem et conturbatum domum revertisse, quod vas eius modi, quod sibi a patre et a maioribus esset relictum, quo solitus esset uti ad festos dies, ad hospitum adventus, a se esset ablatum. „Cum sederem, inquit, domi tristis, accurrit Venerius; iubet me scyphos sigilatos ad praetorem statim afferre. Permotus sum, inquit; binos habebam; iubeo promi utrosque, ne quid plus mali nasceretur, et mecum ad praetoris domum ferri. Eo cum venio, praetor quiescebat; fratres illi Cibratae inambulabant. Qui me ubi viderunt: „Ubi sunt, Pamphile,“ inquit, „scyphi?“ Ostendo tristis; laudant. Incipio queri me nihil habiturum, quod alicuius esset pretii, si etiam scyphi essent ablati. Tum illi, ubi me conturbatum vident: „Quid vis nobis dare, ut isti abs te ne auferantur?“ „Ne multa, HS mille me, inquit, poposcerant; dixi me daturum. Vocat interea praetor, poscit scyphos“. Tum illos coepisse praetori dicere putasse se, id quod audissent, alicuius pretii scyphos esse Pamphilii; luteum negotium esse, non dignum, quod in suo argento Verres haberet. Ait ille idem sibi videri. Ita Pamphilus scyphos optimos aufert.

33. Et mehercule ego antea, tametsi hoc nescio quid nugatorium sciebam esse, ista intellegere, tamen mirari solebam istum in his ipsis rebus aliquem sensum habere, quem scirem nulla in re quicquam simile hominis habere.

XV. Tum primum intellexi ad eam rem istos fratres Cibratas fuisse, ut iste in furando manibus suis, oculis illorum uteretur. At ita studiosus est huius praeclarae existimationis, ut putetur in hisce rebus intellegens esse, ut nuper (videte hominis amentiam), posteaquam est comprehendatus, cum iam pro damnato mortuoque esset, ludis circensibus mane apud L. Sisennam, virum primarium, cum essent triclinia strata argentumque expositum in aedibus, cum pro dignitate L. Sisennae domus esset plena hominum honestissimorum, accessit ad argentum, contemplari unumquidque otiose et considerare coepit. Mirari stultitiam alii, quod in ipso iudicio eius ipsius cupiditatis, cuius insimularetur, suspicionem auget; alii amentiam, cui comprehendato, cum tam multi testes dixissent, quicquam illorum veniret in mentem. Pueri autem Sisennae, credo, qui audissent, quae in istum testimonia essent dicta, oculos de isto nusquam deicere neque ab argento digitem discedere.

54. Est boni iudicis parvis ex rebus coniecturam facere uniuscuiusque cupiditatis et continentiae. Qui reus, et reus lege comperendinatus, re et opinione hominum paene damnatus, temperare non potuerit maximo conventu quin L. Sisennae argentum tractaret et consideraret, hunc praetorem in provincia quisquam putabit a Siculorum argento cupiditatem aut manus abstinere potuisse?...

**XXIII. 51.** Illa vero optima, quod, cum Haluntium venisset praetor laboriosus et diligens, ipse in oppidum noluit accedere, quod erat difficili ascensu atque arduo. Archagathum Haluntinum, hominem non solum domi, sed tota Sicilia in primis nobilem, vocari iussit. Ei negotium dedit, ut, quicquid Halunti esset argenti caelati aut si quid etiam Corinthiorum, ut omne statim ad mare ex oppido deportaretur. Escendit in oppidum Archagathus. Homo nobilis, qui a suis amari et diligi vellet, ferebat graviter illam sibi ab isto provinciam datam, nec quid faceret habebat; pronuntiat quid sibi imperatum esset, iubet omnes proferre, quod haberent. Metus erat summus; ipse enim tyrannus non discedebat longius: Archagathum et argentum in lectica cubans ad mare infra oppidum expectabat. **52.** Quem concursum in oppido factum putatis, quem clamorem, quem porro fletum mulierum? Qui videret, equum Troianum introductum, urbem captam diceret. Efferi sine thecis vasa, extorqueri alia e manibus mulierum, effringi multorum fores, revelli claustra. Quid enim putatis? Scuta si quando conquiruntur a privatis in bello ac tumultu, tamen homines inviti dant, etsi ad salutem communem dari sentiunt; ne quem putetis sine maxime dolore argentum caelatum domo, quod alter eriperet, protulisse. Omnia deferuntur. Cibyrateae fratres vocantur; pauca improbant; quae probarant, iis crustae aut emblemata detrahebantur. Sic Haluntini excussis deliciis cum argento puro domum revertuntur.

**XXIV. 53.** Quod umquam, iudices, huiusce modi everriculum ulla in provincia fuit? Avertere aliquid de publico quam obscurissime per magistratum solebant: etiam cum aliquid a privato nonnumquam, occulte auferre, et ii tamen condemnabantur. Et, si quaeritis, ut ipse de me detraham, illos ego accusatores puto fuisse, qui eius modi hominum furta odore aut aliquo leviter presso vestigio persequerentur. Nam nos quidem quid facimus in Verrem, quem in luto volutatum totius corporis vestigiis invenimus? Permagnum est in eum dicere aliquid, qui praeteriens, lectica paulisper deposita, non per praestigias, sed palam per potestatem uno imperio ostiatim totum oppidum compilaverit? Ac tamen, ut posset dicere se emisse, Archagatho imperat, ut illis aliquid, quorum argentum fuerat, nummularum dicis causa daret. Invenit Archagathus paucos, qui vellent accipere; iis dedit. Eos nummos tamen iste Archagatho non reddidit. Voluit Romae repetere Archagathus: Cn. Lentulus Marcellinus dissuasit, sicut ipsum dicere audistis. Recita. (Archagathi et Lentuli testimonium).

54. Et ne forte hominem existimetis hanc tantam vim emblematarum sine causa coacervare voluisse, videte quanti vos, quanti existimationem populi Romani, quanti leges et iudicia, quanti testes Siculos negotiatoresque fecerit: posteaquam tantam multitudinem collegerat emblematarum, ut ne



unum quidem cuiquam reliquisset, instituit officinam Syracusis in regia maximam. Palam artifices omnes caelatores ac vasculares convocari iubet, et ipse suos complures habebat. Eos concludit, magnam hominum multitudinem. Menses octo continuos his opus non defuit, cum vas nullum fieret nisi aureum. Tum illa, ex patellis et turibulis quae evellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ita apte in scaphiis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata esse diceres; ipse tamen praetor, qui sua vigilantia pacem in Sicilia dicit fuisse, in hac officina maiorem partem diei cum tunica pulla sedere solebat et pallio.

## IN VERREM

### ACTIO SECUNDA

#### DE SUPPLICIIS

##### Modul de viață al lui Verres

26. Itinerum primum laborem, qui vel maximus est in re militari, iudices, et in Sicilis maxime necessarius, accipite quam facilem sibi iste et iucundum ratione consilioque reddiderit. Primum temporibus hibernis ad magnitudinem frigorum et tempestatum vim ac fluminum praeclarum hoc sibi remedium comparat: urbem Syracusas elegerat, cuius hic situs atque haec natura esse loci caelique dicitur, ut nullus umquam dies tam magna ac turbulenta fuerit quin aliquo tempore eius diei solem homines viderint. Hic ita vivebat iste bonus imperator hibernis mensibus, ut eum non facile non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret.

27. Cum autem ver esse coeperat (cuius initium iste non a Favonio neque ab aliquo astro notabat, sed cum rosam viderat, tum incipere ver arbitrabatur), dabat se labori atque itineribus; in quibus eo usque se praebebat patientem atque impigrum, ut eum nemo umquam in equo sedentem viderit. XI. Nam, ut mos fuit Bithyniae regibus, lectica octophoro ferebatur; in qua pulvinus erat perlucidus Melitensis, rosa fartus; ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo reticulumque ad nares sibi admo-



vebat tenuissimo lino. minutis maculis, plenum rosae. Sic confecto itinere, cum ad aliquod oppidum venerat, eadem lectica usque in cubiculum deferbatur. Eo veniebant Siculorum magistratus, veniebant equites Romani, id quod ex multis iuratis audistis; controversiae secreto deferebantur, paulo post palam decreta auferebantur.

### Executarea unui cetățean roman

**LXI. 160.** Gavius hic, quem dico, Consanus, cum in illo numero civium Romanorum ab isto in vincla coniectus esset et nescio qua ratione clam e Lautumiis profugisset Messanamque venisset, qui tam prope iam Italiam et moenia Reginorum, civium Romanorum, videret, et ex illo metu mortis ac tenebris quasi luce libertatis et odore aliquo legum recreatus revixisset, loqui Messanae et queri coepit se civem Romanum in vincla coniectum; sibi recta iter esse Romam, Verri se praesto adveniendi futurum.

**LXII.** Non intellegebat miser nihil interesse, utrum haec Messanae an apud istum in praetorio loqueretur; nam, ut antea vos docui, hanc sibi urbem delegerat, quam haberet adiutricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium consciam. Itaque ad magistratum Mamertinum statim deducitur Gavius; eoque ipso die casu Messanam Verres venit. Res ad eum defertur; esse civem Romanum, qui se Syracusis in Lautumiis fuisse querebatur; quem iam ingredientem in navem et Verri nimis atrociter minitantem ab se retractum esse et asservatum, ut ipse in eum statueret quod videretur.

**161.** Agit hominibus gratias et eorum benevolentiam erga se diligentiamque collaudat. Ipse inflammatus scelere et furore in forum venit. Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes quo tandem progressurus aut quidnam acturus esset, cum repente hominem proripi atque in foro medio nudari ac deligari et virgas expediri iubet. Clamabat ille miser se civem esse Romanum, municipem Consanum; meruisse cum L. Raecio, splendidissimo equite Romano, qui Panhormi negotiaretur, ex quo haec scire posset. Tum iste se comperisse cum speculari causa in Siciliam a ducibus fugitivorum esse missum; cuius rei neque index neque vestigium aliquod neque suspicio cuiquam esset ulla; deinde iubet undique hominem vehementissime verberari. **162.** Caedebatur virgis in medio foro Messanae civis Romanus, iudices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi haec: „Civis Romanus sum“. Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum cruciatumque a corpore deiecturum arbitrabatur. Is non modo hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur, sed, cum imploraret saepius usurparetque nomen civitatis, crux, crux, inquam, infelici et aerumnoso, qui numquam istam pestem viderat, comparabatur.

**LXIII. 163.** O nomen dulce libertatis! o ius eximium nostrae civitatis! o lex Porcia legesque Semproniae! o graviter desiderata et aliquando reddita plebi Romanae tribunicia potestas! Hucine tandem haec omnia reciderunt, ut civis Romanus, in provincia populi Romani, in oppido foederatorum, ab

eo qui beneficio populi Romani fascēs et securēs haberet, deligatus in foro virgis caederetur? Quid? cum ignes ardentēque laminae ceterique cruciatus admovebantur, si te illius acerba imploratio et vox miserabilis non inhiēbat, ne civium quidem Romanorum, qui tūm aderant, fletu et gemitu maximo commovebare? In crucem tu agere ausus es quemquam, qui se civem Romanum esse diceret?

Nolui tam vehementer agere hoc prima actione, iudices, nolui. Vidistis enim, ut animi multitudinis in istum dolore et odio et communis periculi metu concitarentur. Statui egomet mihi tūm modum orationi meae et C. Numitorio, equiti Romano, primo homini, testi meo, et M. Glabronem, id quod sapientissime fecit, facere laetatus sum, ut repente consilium in medio testimonio dimitteret. Etenim verebatur ne populus Romanus ab isto eas poenas vi repetisse videretur quas veritus esset ne iste legibus ac vestro iudicio non esset persoluturus.

164. Nunc, quoniam iam exploratum est omnibus, quo loco causa tua sit, et quid de te futurum sit, sic tecum agam. Gavium istum, quem repentinum speculatorem fuisse dicis, ostendam in Lautumias Syracusis a te esse coniectum, neque id solum ex litteris ostendam Syracusanorum, ne possis dicere me, quia sit aliquis in litteris Gavius, hoc fingere et eligere nomen, ut hunc illum esse possim dicere; sed ad arbitrium tuum testes dabo, qui istum ipsum Syracusis abs te in Lautumias coniectum esse dicant. Producam etiam Consanos, municipales illius ac necessarios, qui te nunc sero doceant, iudices non sero, illum P. Gavium, quem tu in crucem egisti, civem Romanum et municipem Consanum, non speculatorem fugitivorum fuisse.

LXIV. 165. Cum haec omnia, quae polliceor, cumulate tuis proximis plana fecero, tūm istuc ipsum tenebo, quod abs te mihi datur; eo contentum me esse dicam. Quid enim nuper tu ipse, cum populi Romani clamore atque impetu perturbatus exsiluisti, quid, inquam, locutus es? Illum, quod moram supplicio quaereret, ideo clamitasse se esse civem Romanum, sed speculatorem fuisse. Iam mei testes veri sunt. Quid enim dicit aliud C. Numitorius, quid M. et P. Cottii, nobilissimi homines ex agro Tauromenitano, quid Q. Luceius, qui argentariam Regii maximam fecit, quid ceteri? Adhuc enim testes ex eo genere a me sunt dati, non qui novisse Gavium, sed se vidisse dicerent, cum is, qui se civem Romanum esse clamaret, in crucem ageretur. Hoc tu, Verres, idem dicis, hoc tu confiteris, illum clamitasse se civem esse Romanum: apud te nomen civitatis ne tantum quidem valuisse, ut dubitationem aliquam, ut crudelissimi taeterrimique supplicii aliquam parvam moram saltem posset afferre.

166. Hoc teneo, hic haereo, iudices, hoc sum contentus uno, omitto ac neglego cetera; sua confessione induatur ac iuguletur necesse est. Qui esset ignorabas, speculatorem esse suspicabare; non quaero qua suspicione, tua te accuso oratione: civem Romanum se esse dicebat. Si tu apud Persas aut in extrema India deprehensus, Verres, ad supplicium ducerere, quid aliud clamitares, nisi te civem esse Romanum et, si tibi ignoto apud ignotos, apud barbaros, apud homines in extremis atque ultimis gentibus positos, nobile et illustre apud omnes nomen civitatis tuae profuisset, ille, quisquis erat,



quem tu in crucem rapiebas, qui tibi esset ignotus, cum civem se Romanum esse diceret, apud te praetorem, si non effugium, ne moram quidem mortis mentione atque usurpatione civitatis assequi potuit?

**LXV. 167.** Homines tenues, obscuro loco nati, navigant, adeunt ad ea loca, quae numquam antea viderunt, ubi neque noti esse iis, quo venerunt, neque semper cum cognitoribus esse possunt. Hac una tamen fiducia civitatis non modo apud nostros magistratus, qui et legum et existimationis periculo continentur, neque apud cives solum Romanos, qui et sermonis et iuris et multarum rerum societate iuncti sunt, fore se tutos arbitrantur, sed quocumque venerint, hanc sibi rem praesidio sperant (esse) futuram. **168.** Tolle hanc spem, tolle hoc praesidium civibus Romanis, constitue nihil esse opis in hac voce: „Civis Romanus sum“, posse impune praetorem aut alium quempiam supplicium, quod velit, in eum constituere, qui se civem Romanum esse dicat, quod eum, qui sit ignoret: iam omnes provincias, iam omnia regna, iam omnes liberarum civitates, iam omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, civibus Romanis ista defensione praecloseris. Quid? si L. Raccium, equitem Romanum, qui tum in Sicilia erat, nominabat, etiamne id magnum fuit Panhornum litteras mittere? Asservasses hominem custodiis Mamertinorum tuorum; vinctum, clausum habuisses, dum Panhorno Raecius veniret; cognosceret hominem, aliquid de summo supplicio remitteres; si ignoraret, tum, si ita tibi videretur, hoc iuris in omnes constitueres, ut, qui neque tibi notus esset neque cognitorem locupletem daret, quamvis civis Romanus esset, in crucem tolleretur.

**LXVI. 169.** Sed quid ego plura de Gavio, quasi tu Gavio tum fueris infestus ac non nomini, generi, iuri civium hostis? Non illi, inquam, homini, sed causae communi libertatis inimicus fuisti. Quid enim attinuit, cum Marmertini more atque instituto suo crucem fixissent post urbem in via Pompeia, te iubere in ea parte figere, quae ad fretum spectaret, et hoc addere, quod negare nullo modo potes, quod omnibus audientibus dixisti palam, te idcirco illum locum deligere, ut ille, quoniam se civem Romanum esse diceret, ex cruce Italiam cernere ac domum suam prospicere posset? Itaque illa crux sola, iudices, post conditam Messanam illo in loco fixa est. Italiae conspectus ad eam rem ab isto delectus est, ut ille in dolore cruciatuque moriens perangusto fretu divisa servitutis ac libertatis iura cognosceret, Italia autem alumnus suum servitutis extremo summoque supplicio affixum videret. **170.** Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Non fuit his omnibus iste contentus: „Spectet, inquit, patriam; in conspectu legum libertatisque moriatur“. Non tu hoc loco Gavium, non unum hominem nescio quem (civem Romanum), sed communem libertatis et civitatis causam in illum cruciatum et crucem egisti. Iam vero videte hominis audaciam! Nonne eum graviter tulisse arbitramini, quod illam civibus Romanis crucem non posset in foro, non in comitio, non in rostris defigere? Quod enim his locis in provincia sua celebritate simillimum, regione proximum potuit, elegit; monumentum sceleris audaciaeque suae voluit esse in conspectu Italiae, vestibulo Siciliae, praetervectione omnium qui ultro citroque navigarent...



## IN L. CATILINAM

### ORATIO SECUNDA

#### Complicii lui Catilina

VIII. 17. Sed cur tam diu de uno hoste loquimur, et de eo hoste, qui iam fatetur se esse hostem, et quem, quia, quod semper volui, murus interest, non timeo; de his, qui dissimulant, qui Romae remanent, qui nobiscum sunt, nihil dicimus? Quos quidem ego, si ullo modo fieri possit, non tam ulcisci studeo, quam sanare sibi ipsos, placare rei publicae, neque, id quare fieri non possit, si me audire volent, intellego. Exponam enim vobis, Quirites, ex quibus generibus hominum istae copiae comparentur; deinde singulis medicinam consilii atque orationis meae, si quam poterō, afferam.

18. Unum genus est eorum, qui magno in aere alieno maiores etiam possessiones habent, quarum amore adducti dissolvi nullo modo possunt. Horum hominum species est honestissima (sunt enim locupletes); voluntas vero et causa impudentissima. Tu agris, tu aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus et copiosus sis, et dubites de possessione detrahere, acquirere ad fidem? Quid enim expectas? bellum? Quid ergo? in vastatione omnium tuas possessiones sacrosanctas futuras putas? An tabulas novas? Errant, qui istas a Catilina expectant; meo beneficio tabulae novae proferentur, verum auctionariae; neque enim isti, qui possessiones habent, alia ratione ulla salvi esse possunt. Quod si maturius facere voluissent, neque, id quod stultissimum est, certare, cum usuris fructibus praediorum, et locupletioribus his et melioribus civibus uteremur. Sed hosce homines minime puto pertimescendos, quod aut deduci de sententia possunt aut, si permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra rem publicam quam arma laturi.

IX. 19. Alterum genus est eorum, qui, quamquam premuntur aere alieno, dominationem tamen expectant, rerum potiri volunt, honores, quos quieta republica desperant, perturbata se consequi posse arbitrantur. Quibus hoc praecipendum videtur, unum scilicet et idem quod reliquis omnibus, ut desperent se id, quod conantur, consequi posse, primum omnium, me ipsum vigilare, adesse, providere rei publicae; deinde magnos animos esse in bonis

viris, magnam concordiam in maxima multitudine, magnas praeterea militum copias; deos denique immortales huic invicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimae urbi contra tantam vim sceleris praesentes auxilium esse laturos. Quod si iam sint id, quod summo furore cupiunt, adepti, num illi in cinere urbis et in sanguine civium, quae mente conscelerata ac nefaria concupiverunt, consules se aut dictatores aut etiam reges sperant futuros? Non vident id se cupere, quod si adepti sint, fugitivo alicui aut gladiatori concedi sit necesse?

20. Tertium genus est aetate iam affectum, sed tamen exercitatione robustum; quo ex genere iste est Manlius, cui nunc Catilina succedit. Hi sunt homines ex iis coloniis, quas Sulla constituit, quas ego universas civium esse optimorum et fortissimorum virorum sentio, sed tamen ii sunt coloni qui se in insperatis ac repentinis pecuniis sumptuosius insolentiusque iactant. Hi dum aedificant, tamquam beati, dum praediis lectis, familiis magnis, convivii apparatus delectantur, in tantum aes alienum inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sulla sit iis ab inferis excitandus: qui etiam nonnullos agrestes homines, tenues atque egentes, in eadem illam spem rapinarum veterum impulerunt. Quos ego utrosque, Quirites, in eodem genere praedatorum direptorumque pono; sed eos hoc moneo, desinant furere ac proscriptiones et dictaturas cogitare. Tantus enim illorum temporum dolor inustus est civitati, ut iam ista non modo homines, sed ne pecudem mihi passurae esse videantur.

X. 21. Quartum genus est sane varium et mixtum et turbulentum; qui iampridem premuntur, qui numquam emergunt, qui partim inertia, partim male gerendo negotio, partim etiam sumptibus in vetere aere alieno vacillant, qui vadimoniis, iudiciis, proscriptione bonorum defatigati, permulti et ex urbe et ex agris se in illa castra conferre dicuntur. Hosce ego non tam milites acres quam infitiores lentos esse arbitror. Qui homines quam primum si stare non possunt, corruant, sed ita ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant. Nam illud non intellego, quamobrem, si vivere honeste non possunt, perire turpiter velint, aut cur minore dolore perituros se cum multis, quam si soli pereant, arbitrentur.

22. Quintum genus est parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum. Quos ego a Catilina non revoco; nam neque ab eo divelli possunt, et pereant sane in latrocinio, quoniam sunt ita multi, ut eos carcer capere non possit.

Postremum autem genus est non solum numero, verum etiam genere ipso atque vita, quod proprium Catilinae est; quos pexo capillo, nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis et talaribus tunicis, velis amictos, non togis; quorum omnis industria vitae et vigilandi labor in antelucanis cenis expromitur. 23. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur. Hi pueri tam lepidi ac delicati non solum amare et amari, neque saltare et cantare, sed etiam sicas vibrare et spargere venena didicerunt. Qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiam si Catilina



perierit, scitote hoc in re publica seminarium Catilinarium futurum. Verumtamen quid sibi isti miseri volunt? Num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? Quemadmodum autem illis carere poterunt, his praesertim iam noctibus? Quo autem pacti illi Apenninum atque illas pruinas ac nives perferent? Nisi idcirco se facilius hiemem toleraturos putant, quod nudi in conviviis saltare didicerunt...

## ORATIO PRO ARCHIA POETA

### Elogiul literaturii

VI. 12. Quaeres a nobis, Grati, cur tanto opere hoc homine delectemur. Quia suppeditat nobis ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur et aures convicio defessae conquiescant. An tu existimas aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus, aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor me his studiis esse deditum. Ceteros pudeat, si qui ita se litteris abdiderunt, ut nihil possint ex iis neque ad communem afferre fructum neque in aspectum lucemque proferre; me autem quid pudeat qui tot annos ita vivo, iudices, ut a nullius umquam me tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit aut voluptas avocarit aut denique somnus retardarit? 13. Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum denique alveolo, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumpsero?

Atque hoc eo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque crescit oratio et facultas, quae quantacumque in me est, numquam amicorum periculis defuit. Quae si cui levior videtur, illa quidem certe, quae summa sunt, ex quo fonte hauriam sentio. 14. Nam, nisi multorum praeceptis multisque litteris mihi ab adulescentia suasissem nihil esse in vita magno opere expetendum nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilii parvi esse ducenda, numquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes

atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas; quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines non solum ad intuendum verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas scriptores et Graeci et Latini reliquerunt! Quas ego mihi semper in administranda re publica proponens, animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam.

VII. 15. Quaeret quispiam: „Quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes litteris proditae sunt, istane doctrina, quam tu effers laudibus, eruditi fuerunt?“ Difficile est hoc de omnibus confirmare; sed tamen est certum quod respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse et sine doctrina, et naturae ipsius habitu prope divino, per se ipsos et moderatos et graves extitisse fateor; etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego hoc contendo, cum ad naturam eximiam et illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere. 16. Ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum; ex hoc C. Laelium, L. Furium, moderatissimos homines et continentissimos; ex hoc fortissimum virum et illis temporibus doctissimum, M. Catonem illum senem; qui profecto, si nihil ad percipiendam colendamque virtutem litteris adiuventur, numquam se ad earum studium contulissent.

Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur, tamen, ut opinor, hanc animi remissionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis. Nam ceterae (res) neque temporum sunt neque aetatum omnium neque locorum; at haec studia adulescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent; delectant domi, non impediunt foris; pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

VIII. 17. Quod si ipsi haec neque attingere neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus. Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Rosci morte nuper non commoveretur? qui cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum neglegemus? 18. Quotiens ego hunc Archiam vidi, iudices, (utar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis), quotiens ego hunc vidi, cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de iis ipsis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore, quotiens revocatum eandem rem dicere commutatis verbis atque sententiis! Quae vero accurate cogitateque scripsisset, ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem perveniret. Hunc ego non diligam, non admirer, non omni ratione defendendum putem?

Atque sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia ex doctrina et praeceptis et arte constare, poetam natura ipsa



valere et mentis viribus excitari et quasi divino quodam spiritu inflari. Quare suo iure noster ille Ennius „sanctos“ appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. 19. Sit igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poetae nomen, quod nulla umquam barbaria violavit. Saxa et solitudines voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistent : nos instituti rebus optimis non poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salamini repetunt; Smyrnaei vero suum esse confirmant, itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt; permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt.

**IX.** Ergo illi alienum, quia poeta fuit, post mortem etiam expetunt : nos hunc vivum, qui et voluntate et legibus noster est, repudiemus, praesertim cum omne olim studium atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam? Nam et Cimbricas res adulescens attigit et ipsi illi C. Mario, qui durior ad haec studia videbatur, iucundus fuit. 20. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiat. Themistoclem illum summum Athenis virum dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur quod acroama aut cuius vocem libentissime audiret : „eius, a quo sua virtus optime praedicarentur“. Itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari. 21. Mithridaticum vero bellum, magnum atque difficile et in multa varietate terra marique versatum, totum ab hoc expressum est; qui libri non modo L. Lucillum, fortissimum et clarissimum virum, verum etiam populi Romani nomen illustrent. Populus enim Romanus aperuit Lucullo imperante Pontum et regis quondam opibus et ipsa natura et regione vallatum; populi Romani exercitus eodem duce non maxima manu innumerabiles Armeniorum copias fudit; populi Romani laus est urbem amicissimam Cyzicenorum eiusdem consilio ex omni impetu regio atque (e) totus belli ore ac faucibus ereptam esse atque servatam. Nostra semper feretur et praedicabitur L. Lucullo dimicante cum interfectis ducibus depressa hostium classis, et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis; nostra sunt tropaea, nostra monumenta, nostri triumphi.

Quae quorum ingeniis efferuntur, ab iis populi Romani fama celebratur. 22. Carus fuit Africano superiori noster Ennius; itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus ex marmore. Cuius laudibus certe non solum ipse qui laudatur, sed etiam populi Romani nomen ornatur. In caelum huius proavus Cato tollitur : magnus honos populi Romani rebus adiungitur. Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur.

**X.** Ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum hominem, maiores nostri in civitatem receperunt : nos hunc Heracliensem multis civitatibus expetiturum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate eiiciemus?

23. Nam, si quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi quam ex Latinis, vehementer errat, propterea quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur.

Quare, si res eae, quae gessimus orbis terrae regionibus definiuntur, cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare, quod cum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt, tum iis certe, qui de vita gloriae causa dimicant, hoc maximum et periculorum incitamentum est et laborum. 24. Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur! Atque is tamen, cum in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset: „O fortunate, inquit, adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris!“ Et vere: nam, nisi Ilias illa extitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Quid? noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mytilenaeum, scriptorem rerum suarum, in contione militum civitate donavit, et nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbaverunt?

25. Itaque, credo, si civis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere non potuit! Sulla, cum Hispanos et Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiasset; quem nos in contione vidimus, cum ei libellum malus poeta de populo subiecisset, quod epigramma in eum fecisset, tantummodo alternis versibus longiusculis, statim ex iis rebus, quas tum vendebat, iubere ei praemium tribui, sed ea condicione ne quid postea scriberet. Qui sedulitatem mali poetae duxerit aliquo tamen praemio dignam, huius ingenium et virtutem in scribendo et copiam non expetisset? 26. Quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se neque per Lucillos impetravisset? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet.

XI. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed prae nobis ferendum: trahimur omnes studio laudis, et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi philosophi etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt; in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se ac nominari volunt. 27. Decimus quidem Brutus, summus vir et imperator, Acci amicissimi sui carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. Iam vero ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellavit, Fluvius non dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Quare, in qua urbe imperatores prope armati poetarum nomen et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Musarum honore et a poetarum salute abhorreere.

28. Atque, ut id libentius faciatis, iam me vobis, iudices, indicabo, et de meo quodam amore gloriae nimis acri fortasse, verumtamen honesto vobis confitebor; nam quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute huius urbis atque imperii et pro vita civium proque universa re publica gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit. Quibus auditis, quod mihi magna res et iucunda visa est, hunc ad perficiendum adhortatus sum. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter hanc laudis et gloriae. Qua quidem detracta, iudices, quid est quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus?



## IN M. ANTONIUM

### ORATIO PHILIPPICA SECUNDA

#### Conduita politică a lui Cicero

10... V. Sed cum mihi, patres conscripti, et pro me aliquid et in M. Antonium multa dicenda sint, alterum peto a vobis ut me pro me dicentem benigne, alterum ipse efficiam ut, contra illum cum dicam, attente audiatis. Simul illud oro, si meam cum in omni vita, tum in dicendo moderationem modestiamque cognostis, ne me hodie, cum isti, ut provocavit, respondero, oblitum esse putetis mei. Non tractabo ut consulem; ne ille quidem me ut consularem. Etsi ille nullo modo consul, vel quod ita vivit, vel quod ita rem publicam gerit, vel quod ita factus est; ego sine ulla controversia consularis.

11. Ut igitur intellegeretis qualem ipse se consulem profiteretur, obiecit mihi consulatum meum. Qui consulatus verbo meus, patres conscripti, re vester fuit. Quid enim ego constitui, quid gessi, quid egi nisi ex huius ordinis consilio, auctoritate, sententia? Haec tu homo sapiens, non solum eloquens, apud eos, quorum consilio sapientiaque gesta sunt, ausus es vituperare? Quis autem meum consulatum, praeter te Publiumque Clodium, qui vituperaret, inventus est? Cuius quidem tibi fatum, sicut C. Curioni, manet, quoniam id domus tuae est quod fuit illorum utrique fatale. 12. Non placet M. Antonio consulatus meus. At placuit P. Servilio, ut eum primum nominem ex illius temporis consularibus, qui proxime est mortuus; placuit Q. Catulo, cuius semper in hac re publica vivet auctoritas; placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni, C. Pisoni, M. Glabrioni, M. Lepido, L. Volcatio, C. Figulo, D. Silano, L. Murenae, qui tum erant consules designati; placuit idem quod consularibus M. Catoni, qui cum multa vita excedens providit, tum quod te consulem non vidit. Maxime vero consulatum meum Cn. Pompeius probavit, qui, ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans meo beneficio patriam se visurum esse dixit. Sed quid singulos commemoro? Frequentissimo senatui sic placuit, ut esset nemo qui mihi non vitam suam, fortunas, liberos, rem publicam referret acceptam.

VI. 13. Sed quoniam illis, quos nominavi, tot et talibus viris res publica orbata est, veniamus ad vivos, qui duo de consularium numero reliqui sunt. L. Cotta, vir summo ingenio summaque prudentia, rebus iis gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decrevit verbis amplissimis, eique illi ipsi, quos modo nominavi, consulares senatusque cunctus assensus est, qui honos post conditam hanc urbem habitus est togato ante me nemini. 14. L. Caesar, avunculus tuus, qua oratione, qua constantia, qua gravitate sententiam dixit in sororis suae virum, vitricum tuum! Hunc tu cum auctorem et praeceptorem

omnium consiliorum totiusque vitae debuisses habere, vitrici te similem quam avunculi maluisti. Huius ego alienus consiliis consul usus sum: tu, sororis filius, ecquid ad eum umquam de re publica rettulisti?

### Condiuța politică a lui Antonius

**XXXIV.** Sed ne forte ex multis rebus gestis M. Antoni rem unam pulcherrimam transiliat oratio, ad Lupercalia veniamus. Non dissimulat, patres conscripti; apparet esse commotum; sudat, pallet. Quidlibet, modo ne faciat quod in porticu Minucia fecit. Quae potest esse turpitudinis tantae defensio? Cupio audire, ut videam ubi rhetoris sit tanta merces, (id est, ubi campus Leontinus appareat).

85. Scdebat in rostris collega tuus, amictus toga purpurea, in sella aurea, coronatus. Escendis, accedis ad sellam (ita eras Lupercus, ut te consulem esse meminisse deberes), diadema ostendis. Gemitus toto foro. Unde diadema? non enim abiectum sustuleras, sed attuleras domo, meditatam et cogitatum scelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi; ille cum plausu reiiciebat. Tu ergo unus, scelerate, inventus es, qui, cum auctor regni esses eumque quem collegam habebas dominum habere velles idem tentares quid populus Romanus ferre et pati posset. 86. At etiam misericordiam captabas; supplex te ad pedes adiciebas, quid petens? ut servires? Tibi uni peteres, qui ita a puero vixeras ut omnia paterere, ut facile servires; a nobis populoque Romano mandatum id certe non habebas. O praeclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus contionatus! Quid hoc turpius? quid foedius? quid supplicii omnibus dignius? Num expectas dum te stimulis fodiamus? haec te, si ullam partem habes sensus, lacerat, haec cruentat oratio. Vereor ne imminuam summorum viro- rum gloriam; dicam tamen dolore commotus: quid indignius quam vivere eum qui imposuerit diadema, cum omnes fateantur iure interfectum esse qui abiecerit?

87. At etiam ascribi iussit in fastis ad Lupercalia *C. Caesari, dictatori perpetuo, M. Antonium consulem populi iussu regnum detulisse; Caesarem uti noluisse*. Iamiam minime miror te otium perturbare; non modo urbem odisse, sed etiam lucem; cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem bibere. Ubi enim tu in pace consistes? qui locus tibi in legibus et iudiciis esse potest, quae tu, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti? Ideone L. Tarquinius exactus est, Sp. Cassius, Sp. Maelius, M. Manlius necati, ut multis post saeculis a M. Antonio (quod fas non est) rex Romae constitueretur?

**XXXVI.** Qui tu vir, di immortales, et quantus fuisses, si illius diei mentem servare potuisses! Pacem haberemus, quae erat facta per obsidem puerum nobilem, M. Bambalionis nepotem. Quamquam bonum te timor faciebat, non diuturnus magister officii improbum fecit ea quae, dum timor abest, a te non discedit audacia. Etsi tum, cum optimum te putabant, me quidem dissentiente, funeri tyranni, si illud funus fuit, sceleratissime praeuisti.



91. Tua illa pulchra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio, tu, tu, inquam, illas faces incendisti et eas quibus semustulatus ille est, et eas quibus incensa L. Bellieni domus deflagavit; tu illos impetus perditorum hominum et ex maxima parte servorum, quos nos vi manumque reppulimus, in nostras domos immisisti.

Idem, tamen, quasi fuligine abstersa, reliquis diebus in Capitolio praecleara senatus consulta fecisti, ne qua post Idus Martias immunitatis tabula neve cuius beneficii figeretur. Meministi ipse, de exulibus, scis, de immunitate, quid dixeris. Optimum vero, quod dictaturae nomen in perpetuum de re publica sustulisti; quo quidem facto tantum te cepisse odium regni videbatur, ut eius omen omne propter proximum dictatoris metum tolleres.

92. Constituta res publica videbatur aliis, mihi vero nullo modo, qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. Num igitur me fefellit, aut num diutius sui potuit dissimilis esse? Inspectantibus vobis toto Capitolio tabulae figebantur, neque solum singulis veniant immunitates, sed etiam populis universis; civitas non iam singillatim, sed provinciis totis dabatur. Itaque, si haec manent, quae stante re publica manere non possunt, provincias universas, patres conscripti, perdidistis; neque vectigalia solum, sed etiam imperium populi Romani huius domesticis nundinis deminutum est...

### Perorația

**XLIV· 113.** Eripiet et extorquebit tibi ista populus Romanus, utinam salvis nobis! Sed quoquo modo vobiscum egeris, dum istis consiliis uteris, non potes, mihi crede, esse diuturnus. Etenim, ista tua minime avara coniux, quam ego sine contumelia describo, nimium diu debet populo Romano tertiam pensionem. Habet populus Romanus ad quos gubernacula rei publicae deferat; qui ubicumque terrarum sunt, ibi omne est rei publicae praesidium vel potius ipsa res publica, quae se adhuc tantummodo ulta est, nondum recuperavit. Habet quidem certe respublica adulescentes nobilissimos paratos defensores. Quam volent, illi cedant, otio consulentes; tamen a re publica revocabuntur. Et nomen pacis dulce est et ipsa res salutaris, sed inter pacem et servitutem plurimum interest. Pax est tranquilla libertas, servitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum. **114.** Quod si se ipsos illi nostri liberatores e conspectu nostro abstulerunt, at exemplum facti reliquerunt. Illi, quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinius Brutus bello est persecutus, qui tum rex fuit, cum esse Romae licebat; Sp. Cassius, Sp. Maelius, M. Manlius propter suspicionem regni appetendi sunt necati; hi primum cum gladiis non in regnum appetentem, sed in regnantem impetum fecerunt. Quod cum ipsum factum per se praeclarum est atque divinum, tum expositum ad imitandum est, praesertim cum illi eam gloriam consecuti sint, quae vix

caelo capi posse videatur. Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror esse contemnendam.

**XLV. 115.** Recordare igitur illum, M. Antoni, diem, quo dictaturam sustulisti; pone ante oculos laetitiam senatus populique Romani, confer cum hac (immani) nundinatione tua tuorumque: tum intelleges quantum inter lucrum et laudem intersit. Sed nimirum, ut quidam morbo aliquo et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt, sic libidinosi, avari, facinorosi verae laudis gustatum non habent. Sed si te laus allicere ad recte faciendum non potest, ne metus quidem a foedissimis factis potest avocare? Iudicia non metuis: si propter innocentiam, laudo; sin propter vim, non intellegis, qui isto modo iudicia non timeat, ei quid timendum sit? **116.** Quod si non metuis viros fortes egregiosque cives, quod a corpore tuo prohibentur armis, tui te, mihi crede, diutius non ferent. Quae est autem vita dies et noctes timere a suis? Nisi vero aut maioribus habes beneficiis obligatos, quam ille quosdam habuit ex iis, a quibus est interfectus, aut tu es ulla re cum eo comparandus. Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litterae, cura, cogitatio, diligentia; res bello gesserat, quamvis rei publicae calamitosas, at tamen magnas; multos annos regnare meditatus, magno labore, magnis periculis quod cogitarat effecerat; muneribus, monumentis, congiariis, epulis multitudinem imperitam delcnerat; suos praemiis, adversarios clementiae specie devinxerat. Quid multa? attulerat iam liberae civitati, partim metu, partim patientia, consuetudinem serviendi.

**XLVI. 117.** Cum illo ego te dominandi cupiditate conferre possum, ceteris vere rebus nullo modo comparandus es. Sed ex plurimis malis, quae ab illo rei publicae sunt inusta, hoc tamen boni extitit, quod didicit iam populus Romanus quantum cuique crederet, quibus se committeret, a quibus caveret. Haec non cogitas, neque intellegis satis esse viris fortibus didicisse quam sit re pulchrum, beneficio gratum, fama gloriosum tyrannum occidere? an, cum illum homines non tulerint, te ferent? **118.** Certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur neque occasionis tarditas expectabitur.

Respice, quaeso, aliquando (rem publicam, M. Antoni); quibus ortus sis, non quibuscum vivas, considera; mecum, ut voles: redi cum re publica in gratiam. Sed de te tu videris; ego de me ipso profitebor. Defendi rem publicam adulescens, non deseram senex; contempsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas civitatis potest, **119.** ut aliquando dolor populi Romani pariat, quod iam diu parturit! Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni! Mihi vero, patres conscripti, iam etiam optanda mors est, perfunctio rebus iis, quas adeptus sum quasque gessi. Duo modo haec opto, unum, ut moriens populum Romanum liberum relinquam (hoc mihi maius ab dis immortalibus dari nihil potest), alterum, ut ita cuique eveniat, ut de re publica quisque mereatur.



## DE INVENTIONE

### Elogiul elocinței

I. 1. Saepe et multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit hominibus et civitatibus copia dicendi ac summum eloquentiae studium. Nam cum et nostrae rei publicae detrimenta considero, et maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per disertissimos homines invectam partem incommodorum; cum autem res ab nostra memoria propter vetustatem remotas ex litterarum monumentis repetere instituo, multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intellego cum animi ratione, tum facilius eloquentia comparatas. Ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse numquam. Quare si quis, omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriae civis alitur; qui vero ita sese armat eloquentia ut non oppugnare comoda patriae, sed pro eis propugnare possit, is mihi vir et suis et publicis rationibus utilissimus atque amicissimus civis fore videtur.

2. Ac si volumus huius rei, quae vocatur eloquentia, sive artis alicuius (sive studii), sive exercitationis cuiusdam, sive facultatis ab natura profectae considerare principium, reperiemus id ex honestissimis causis natum atque ab optimis rationibus profectum.

II. Nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum modo vagabantur, et sibi victu fero vitam propagabant; nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant; nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur; nemo nuptias viderat legitimas, non certos quisquam aspexerat liberos, non, ius aequabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem atque inscientiam caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam magnus videlicet vir et sapiens cognovit, quae materia et quanta ad maximas res oportunitas in animis inesset hominum, si quis eam posset elicere et praecipiendo meliorem reddere; qui dispersos homines in agris et in tectis silvestribus abditos ratione

quadam compulit unum in locum, et congregavit; et eos in unamquamque rem inducens utilem atque honestam, primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes, ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos. 3. Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines a consuetudine subito converteret, et ad diversas rationes vitae traduceret.

Age vero, urbibus constitutis, ut fidem colere et iustitiam retinere discerent et aliis parere sua voluntate consuescerent, ac non modo labores excipiendos communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam existimarent, qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quae ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent? Profecto nemo, nisi gravi ac suavi commotus oratione, cum viribus plurimum posset, ad ius voluisset sine vi descendere, ut inter quos posset excellere cum iis se pateretur aequari et sua voluntate a iucundissimâ consuetudine recederet, quae praesertim iam naturae vim obtineret propter vetustatem. Ac primo quidem sic et nata et progressa longius eloquentia videtur, et item postea maximis in rebus pacis et belli cum summis hominum utilitatibus esse versata. Postquam vero commoditas quaedam, prava virtutis imitatrix, sine ratione officii, dicendi copiam consecuta est tum ingenio freta malitia pervertere urbes et vitas hominum labefactare assuevit.

III. Atque huius quoque exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus. 4. Verisimillimum mihi videtur quodam tempore neque in publicis rebus infantes et insipientes homines solitos esse versari, nec vero ad privatas causas magnos ac disertos homines accedere; sed cum a summis maximae res administrarentur, arbitror alios fuisse non incallidos homines, qui ad parvas controversias privatorum accederent. Quibus in controversiis cum saepe a mendacio contra verum stare homines consuescerent, dicendi assiduitas aluit audaciam, ut necessario superiores illi propter iniurias civium resistere audacibus et opitulari suis quisque necessariis cogerentur. Itaque cum in dicendo nonnumquam etiam superior visus esset is, qui, omisso studio sapientiae, nihil sibi praeter eloquentiam comparasset, fiebat ut et multitudinis et suo iudicio dignus qui rem publicam gereret videretur. Hinc nimirum non iniuria, cum ad gubernacula rei publicae temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant. Quibus rebus tantum odii atque invidiae suscepit eloquentia, ut homines ingeniosissimi, quasi ex aliqua turbida tempestate in portum, sic ex seditiosa ac tumultuosa vita se in studium aliquod traderent quietum.

Quare mihi videntur postea cetera studia recta atque honesta per otium concelebrata ab optimis enituisse; hoc vero a plerisque eorum desertum obsolescisse tempore quo multo vehementius erat retinendum et studiosius adaugendum. 5. Nam quo indignius rem honestissimam et rectissimam violabat stultorum et improborum temeritas et audacia summo cum rei publicae detrimento, eo studiosius et illis resistendum fuit et rei publicae consulendum.



## DE ORATORE

### LIBER TERTIUS

#### Despre alegerea cuvintelor

**XXXVIII.** Tria sunt igitur in verbo simplici, quae orator afferat ad illustrandam atque exornandam orationem: aut inusitatum verbum, aut novatum, aut translatum. Inusitata sunt prisca fere ac vetustate ab usu quotidiani sermonis iam diu intermissa quae sunt poetarum licentiae liberiora quam nostrae; sed tamen habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem. Neque enim illud fugerim dicere, ut Caelius: *Qua tempestate Poenus in Italiam venit, nec prolem aut sobolem aut effari aut nuncupari*: aut, ut tu soles, Catule, *non rebar aut opinabar*; aut alia multa, quibus loco positis, grandior atque antiquior oratio saepe videri solet.

154. Novantur autem verba, quae ab eo qui dicit ipso gignuntur ac fiunt, vel coniungendis verbis, ut haec: *Tum pavor sapientiam omnem mi examinato expectorat... Num non vis huius me versutiloquas malitias...* — videtis enim et *versutiloquas* et *expectorat* ex coniunctione facta esse verba, non nata; sed saepe vel sine coniunctione verba novantur, ut ille *senius desertus*, ut *di genitales*, ut *bacarum ubertate incurvescere*.

155. Tertius ille modus transferendi verbi late patet, quem necessitas genuit, inopia coacta et angustiis, post autem iucunditas delectatioque celebravit. Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem, sic verbi translatio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis. Nam *gemmare vites, luxuriam esse in herbis, laetas segetes* etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato cum est dictum, illustrat id, quod intellegi volumus, eius rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo...

#### Despre gruparea cuvintelor, ritm și armonia frazelor

**XLIII. 171.** Sequitur continuatio verborum, quae duas res maxime, collocationem primum, deinde modum quemdam formamque desiderat. Collocationis est componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus, neve hiulus sit, sed quodam modo coagmentatus et levis... 172. Sed est tamen haec collocatio conservanda verborum, de qua loquor; quae vinctam orationem efficit, quae cohaerentem, quae levem, quae aequabiliter fluentem; (id) assequemini, si (verba) extrema cum consequentibus primis ita iungentur, ut neve aspere concurrant neve vastius diducantur.

**XLIV. 173.** Hanc diligentiam subsequitur modus etiam et forma verborum, quod iam vereor ne huic Catulo videatur esse puerile. Versus enim veteres illi in hac soluta oratione propemodum, hoc est, numeros quosdam nobis esse adhibendos putaverunt; interspirationis (enim), non defatigationis

nostrae, neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo, interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt; idque princeps Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem delectationis atque aurium causa, quemadmodum scribit discipulus eius Naucrates numeris astringeret. 174. Namque haec duo musici, qui erant quondam eidem poetae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut (et) verborum numero et vocum modo delectatione vincerent aurium satietatem. Haec igitur duo, vocis dico moderationem et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati posset, a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt. 175. In quo illud est (vel) maximum quod, versus in oratione si efficitur coniunctione verborum, vitium est, et tamen eam coniunctionem sicuti versus numerose cadere et quadrare et perfici volumus. Neque est ex multis res una, quae magis oratorem ab imperito dicendi ignaroque distinguat, quam quod ille rudis incondite fundit (quantum potest), et id quod dicit spiritu, non arte determinat, orator autem sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur astricto et soluto. 176. Nam cum vinxit forma et modis, relaxat et liberat immutatione ordinis, ut verba neque alligata sint quasi certa aliqua lege versus neque ita soluta ut vagentur...

L. 192. Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror quam superiora, quod in eis maxime perfectio atque absolutio iudicatur. Nam versus aequae prima et media et extrema pars attenditur, qui debilitatur, in quacumque est parte titubatum; in oratione autem pauci prima cernunt, postrema plerique; quae quoniam apparentur et intelleguntur, varianda sunt, ne aut animorum iudiciis repudientur aut aurium satietate. 193. Duo enim tres fere sunt extremi servandi et notandi pedes, si modo non breviora et praecisa erunt superiora; quos aut choreos aut heroos aut alternos esse oportebit, aut in paene illo posteriore, quem Aristoteles probat, aut ei pari cretico. Horum vicissitudines efficient, ut neque ei satientur, qui audient, fastidio similitudinis, nec nos id, quod faciemus, opera dedita facere videamur. 194. Quod si Antipater ille Sidonius, quem tu probe, Catule, meministi, solitus est versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore, tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, ut, cum se mente ac voluntate coniecisset in versus, verba sequerentur, quanto id facilius (in) oratione, exercitatione et consuetudine adhibita, consequemur!

### Despre acțiune

LVI. 213. Sed haec omnia perinde sunt ut aguntur. Actio, inquam, in dicendo una dominatur. Sine hac summus orator esse in numero nullo potest; mediocris, hac instructus, summos saepe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, cum rogaretur quid in dicendo esset primum, huic secundas, huic tertias. Quo mihi melius etiam illud ab Aeschine dictum videri solet; qui cum propter ignominiam iudicii cessisset Athenis et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat; qua perlecta, petitum (ab eo) est postridie ut legeret illam etiam quae erat contra ab Demosthene pro



Ctesiphonte edita; quam cum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omnibus: „Quanto, inquit, magis miraremini, si audissetis ipsum!“ Ex quo satis significavit quantum esset in actione, qui orationem eandem aliam fore putarit actore mutato. 214. Quid fuit in Graccho, quem tu melius, Catule, meministi, quod me puero tanto opere efferretur? „Quo me miser conferam? quo veritam? in Capitoliumne? At fratris sanguine madet. An domum? matremne ut miseram lamentantem videam et abiectam?“ Quae sic ab illo esse acta constabat oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent. Haec ideo dico pluribus, quod genus hoc totum oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt, imitatores autem veritatis histriones occupaverunt.

LVII. 215. Ac sine dubio in omni re vincit imitationem veritas; sed ea si satis in actione efficeret ipsa per sese, arte profecto non egeremus. Verum quia animi permotio, quae maxime aut declaranda aut imitanda est actione, perturbata saepe ita est, ut obscuretur ac paene obruatur, discutienda sunt ea, quae obscurant, et ea, quae sunt eminentia et prompta, sumenda.

216. Omnis enim motus animi suum quemdam a natura habet vultum et sonum et gestum; corpusque totum hominis et eius omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae. Nam voces ut chordae sunt intentae, quae ad quemque tactum respondeant: acuta, gravis; cita, tarda; magna, parva; quas tamen inter omnes est suo quaeque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera, lene, asperum; contractum, diffusum; continenti spiritu, intermisso; fractum, scissum; flexo sono, extenuatum, inflatum. Nullum est enim horum generum quod non arte ac moderatione tractetur...

LIX. 220. Omnes autem hos motus subsequi debet gestus, non hic verba exprimens scaenicus, sed universam rem et sententiam non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti ac virili, non ab scaena et histrionibus, sed ab armis aut etiam a palaestra; manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens; bracchium procerius proiectum, quasi quoddam telum orationis; suppletio pedis in contentionibus aut incipiendis aut finiendis.

221. Sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum; quo melius nostri illi senes, qui personatum ne Roscium quidem magnopere laudabant. Animi est enim omnis actio, et imago animi vultus, indices oculi. Nam haec est una pars corporis, quae, quot animi motus sunt, tot significationes (et commutationes) possit efficere. Neque vero est quisquam qui eadem conivens efficiat. Theophrastus quidem Tauriscum quemdam dicit actorem aversum solitum esse dicere, qui in agendo contuens aliquid pronuntiaret. 222. Quare oculorum est magna moderatio. Nam oris non est nimium mutanda species, ne aut ad ineptias aut ad pravitatem aliquam deferamur. Oculi sunt, quorum tum intentione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate, motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis. Est enim actio quasi sermo corporis, quo magis menti congruens esse debet. Oculos autem natura nobis, ut equo aut leoni saetas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. Quare in hac nostra actione secundum vocem vultus valet; is autem oculis gubernatur.

## BRUTUS SIVE DE CLARIS ORATORIBUS

### Elocința greacă

VI. 25. Laudare igitur eloquentiam et quanta vis sit eius expromere quantamque eis, qui sint eam consecuti, dignitatem afferat, neque propositum nobis est hoc loco neque necessarium. Hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, sive illa arte pariatum aliqua, sive exercitatione quadam, sive natura ipsa, rem unam esse omnium difficillimam. Quibus enim ex quinque rebus constare dicitur, earum una quaeque est ars ipsa magna per sese. Quare quinque artium concursus maximarum quantam vim quantamque difficultatem habeat, existimari potest.

VII. 26. Testis est Graecia, quae, cum eloquentiae studio sit incensa iamdiuque excellat in ea praestetque ceteris, tamen omnes artes vetustiores habet et multo ante non inventas solum, sed etiam perfectas, quam haec est (a Graecis) elaborata dicendi vis atque copia. In quam cum intueor, maxime mihi occurrunt, Attice, et quasi lucent Athenae tuae; qua in urbe primum se orator extulit primumque etiam monumentis et litteris oratio est coepta mandari. 27. Tamen ante Periclen, cuius scripta quaedam feruntur, et Thucydidem, qui non nascentibus Athenis, sed iam adultis fuerunt, littera nulla est, quae quidam ornatum aliquem habeat et oratoris esse videatur. Quamquam opinio est et cum, qui multis annis ante hos fuerit, Pisistratum et paulo seniore etiam Solonem posteaque Clisthenem multum, ut temporibus illis valuisse dicendo. 28. Post hanc aetatem aliquot annis, ut ex Atticis monumentis potest perspicere, Themistocles fuit, quem constat cum prudentia, tum etiam eloquentia praestitisse; post Pericles, qui cum floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude clarissimus. Cleonem etiam temporibus illis turbulentum illum quidem civem, sed tamen eloquentem constat fuisse. 29. Huic aetati suppare Alcibiades, Critias, Theramenes; quibus temporibus quod dicendi genus viguerit ex Thucydidi scriptis, qui ipse tum fuit, intellegi maxime potest. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves et ob eam ipsam causam interdum subobscuri.



VIII. 32. Extitit igitur iam senibus illis, quos paulo ante diximus, Isocrates, cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi; magnus orator et perfectus magister, quamquam forensi luce caruit intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo meo quidem iudicio est postea consecutus. Is et ipse scripsit multa praecclare et docuit alios; et cum cetera melius quam superiores, tum primus intellexit etiam in soluta oratione, dum versum effugeres, modum tamen et numerum quemdam oportere servari. 33. Ante hunc enim verborum quasi structura et quaedam ad numerum conclusio nulla erat, aut, si quando erat, non apparebat eam dedita opera esse quaesitam—quae forsitan laus sit, verum tamen natura magis tum casuque, numquam aut ratione aliqua aut ulla observatione fiebat. 34. Ipsa enim natura circumscriptione quadam verborum comprehendit concluditque sententiam; quae cum aptis constricta verbis est, cadit etiam plerumque numerose. Nam et aures ipsae quid plenum, quid inane sit iudicant, et spiritu quasi necessitate aliqua verborum comprehensio terminatur; in quo non modo defici, sed etiam laborare turpe est.

IX. 35. Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregie subtilis scriptor atque elegans, quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere. Nam plane quidem perfectum et cui nihil admodum desit Demosthenem facile dixeris. Nihil acute inveniri potuit in eis causis quas scripsit, nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quicquam esset elatius. 36. Huic Hyperides proximus et Aeschines fuit et Lycurgus et Dinarchus et is, cuius nulla extant scripta, Demades aliique plures. Haec enim aetas effudit hanc copiam; et, ut opinio mea fert, sucus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor.

### Elocința romană

XXXVI. 138. Quam multi enim iam oratores commemorati sunt et quam diu in eorum enumeratione versamur, cum tamen spisse atque vix, ut dudum ad Demosthenem et Hyperiden, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus! Nam ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos, et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam.

XXXVII. 139. Omnia veniebant Antonio in mentem; eaque suo quaeque loco, ubi plurimum proficere et valere possent, ut ab imperatore equites, pedites, levi armatura, sic ab illo in maxime oportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio; imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur, sed ita erat paratus, ut indices illo

dicente nonnumquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse. 140. Verba ipsa non illa quidem elegantissimo sermone; itaque diligenter loquendi laude caruit; (neque tamen est admodum inquinata locutus); sed illa, quae proprie laus oratoris est in verbis (nam ipsum Latine loqui est illud quidem, ut paulo ante dixi, in magna laude ponendum, sed non tam sua sponte quam est a plerisque neglectum; non enim tam praeclarum est scire Latine quam turpe nescire, neque tam id mihi oratoris boni quam civis Romani proprium videtur); sed tamen Antonius in verbis et eligendis, neque id ipsum tam leporis causa quam ponderis, et collocandis et comprehensione devinciendis nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat; verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis et conformationibus.

**XXXVIII.** Sed cum haec magna in Antonio, tum actio singularis; quae si partienda est in gestum atque vocem, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens: manus, humeri, latera, suppositio pedis, status, incessus omnisque motus (cum verbis sententiisque consentiens); vox permanens, verum subrauca natura. Sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. 142. Habebat enim flebile quiddam (in questionibus) aptumque cum ad fidem faciendam, tum ad misericordiam commovendam: ut verum videretur in hoc illud, quod Demosthenen ferunt ei, qui quaesivisset quid primum esset in dicendo, actionem; quid secundum, idem et idem tertium respondisse. Nulla res magis penetrat in animos eosque fingit, format, flectit, talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt.

143. Huic alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum. Illud quidem certe omnes ita iudicabant, neminem esse qui horum altero utro patrono cuiusquam ingenium requireret. Equidem quamquam Antonio tantum tribuo, quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius. Erat summa gravitas; erat cum gravitate iunctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos; Latine loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia; in disserendo mira explicatio; cum de iure civili, cum de aequo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia.

**XXXIX.** 144. Nam ut Antonius, coniectura movenda aut sedenda suspicione aut excitanda, incredibilem vim habebat; sic in interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate nihil erat Crasso copiosius; idque cum saepe alias, tum apud centumviros in M. Curi causa cognitum est. 145. Ita enim multa tum contra scriptum pro aequo et bono dixit, ut hominem acutissimum, Q. Scaevolam, et in iure, in quo illa causa vertebatur, paratissimum, obrueret argumentorum exemplorumque copia; atque ita tum ab his patronis aequalibus et iam consularibus causa illa dicta est, cum uterque ex contraria parte ius civile defenderet, ut eloquentium iuris peritissimus Crassus iuris peritorum eloquentissimus Scaevola putaretur. Qui quidem cum peracutus esset ad excogitandum quid in iure aut in aequo verum aut esset aut non esset, tum verbis erat ad rem cum summa brevitate mirabiliter aptus. 146. Quare sit nobis orator in hoc interpretandi, explanandi, edisserendi genere mirabilis, sic ut simile nihil viderim; in augendo, in ornando, in refellendo magis existimator metuendus quam admirandus orator. Verum ad Crassum revertamur...



**XLIII. 158.** Paratus igitur veniebat Crassus, expectabatur, audiebatur; a principio statim, quod erat apud eum semper accuratum, expectatione dignus videbatur. Non multa iactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra suppositio pedis; vehemens et interdum irata et plena iusti doloris oratio; multae et cum gravitate facetiae; quodque difficile est, idem et perornatus et perbrevis; iam in altercando invenit parem neminem.

**159.** Versatus est in omni fere genere causarum; mature in locum principum oratorum venit. Accusavit C. Carbonem, eloquentissimum hominem, admodum adulescens; summam ingenii non laudem modo, sed etiam admirationem est consecutus. **160.** Defendit postea Liciniam virginem, cum annos XXVII natus esset. In ea ipsa causa fuit eloquentissimus orationisque eius scriptas quasdam partes reliquit. Voluit adulescens in colonia Narbonensi causae popularis aliquid attingere, eamque coloniam, ut fecit, ipse deducere; extat in eam legem senior, ut ita dicam, quam aetas illa ferebat, oratio. Multae deinde causae; sed ita tacitus tribunatus ut, nisi in eo magistratu cenavisset apud praekonem Granium idque nobis narravisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse...

**LXXV. 261.** Caesar autem rationem adhibens, consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendat. Itaque cum ad hanc elegantiam verborum Latinorum (quae, etiam si orator non sis et sis ingenuus civis Romanus, tamen necessaria est) adiungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum videtur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Hanc cum habeat praecipuam laudem, in communibus non video cui debeat cedere. Splendidam quamdam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnificam et generosam quodam modo.

**LXXXIX. 306.** Ego autem iuris civilis studio multum operae dabam Q. Scaevolae Q. filio, qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat. Atque huic anno proximus Sulla consule et Pompeio fuit. Tum P. Sulpici in tribunatu, quotidie contionantis, totum genus dicendi penitus cognovimus. Eodemque tempore, cum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset Romamque venisset, totum ei me tradidi, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus; in quo hoc etiam commorabar attentius (etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat), quod tamen sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur. **317.** Occiderat Sulpicius illo anno, tresque proximo trium aetatum oratores erant crudelissime interfecti, Q. Catulus, M. Antonius, C. Iulius (Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romae dedimus operam, et actori summo causarum et magistro).

**XC.** Haec etsi videntur esse a proposita ratione diversa, tamen idcirco a me proferuntur, ut nostrum cursum perspicere, quoniam voluisti, Brute, possis (nam Attico haec nota sunt), et videre quemadmodum simus in spatio Q. Hortensium ipsius vestigiis persecuti. **308.** Triennium fere fuit urbs sine armis, sed oratorum aut interitu aut discessu aut fuga (nam aberant etiam adulescentes M. Crassus et Lentuli duo) primas in causis agebat Hortensius, magis magisque quotidie probabatur Antistius, Piso saepe dicebat, minus

saepe Pomponius, raro Carbo, semel aut iterum Philippus. At vero ego hoc tempore omni noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabar. 309. Eram cum Stoico Diodoto, qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus. A quo cum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebar, quae quasi contracta et astricta eloquentia putanda est; sine qua etiam tu, Brute, iudicavisti te illam iustam eloquentiam, quam dialecticam esse dilatatam putant, consequi non posse. Huic ego doctori et eius artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. 36. Commentabar declamans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo quotidie, idque faciebam multum etiam Latine, sed Graecae saepius, vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat, vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Graecae dicerem, neque corrigi possem neque doceri.

311. Tumultus interim in recuperanda re publica, et crudelis interitus oratorum trium, Scaevolae, Carbonis, Antisti; reditus Cottae, Curionis, Crassi, Lentulorum, Pompei; leges et iudicia constituta; recuperata res publica; ex numero autem oratorum Pomponius, Censorinus, Murena sublatis. Tum primum nos ad causas et privatas et publicas adire coepimus, non ut in foro disceremus, quod plerique fecerunt, sed ut, quantum nos efficere potuissemus, docti in forum veniremus. 312. Eodem tempore Moloni dedimus operam; dictatore enim Sulla, legatus ad senatum de Rhodiorum praemiis venerat. Itaque prima causa publica pro Sex. Roscio dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla esset quae non digna nostro patrocinio videretur. Deinceps inde multae, quas nos diligenter elaboratas et tamquam elucubratas afferebamus.

**XCIV. 323.** Itaque cum iam paene evanisset Hortensius et ego anno meo, sexto autem post illum consulem, consul factus essem, revocare se ad industriam coepit, ne, cum pares honore essemus, aliqua re superiores videremur. Sic duodecim post meum consulatum annos in maximis causis, cum ego mihi illum, sibi me ille anteferet, coniunctissime versati sumus, consularisque meus, qui illum primo leviter perstrinxerat, idem nos rerum mearum gestarum, quas ille admirabatur, laude coniunxerat...

**XCIV.** Sed si quaerimus cur adolescens magis floruerit dicendo quam senior Hortensius, causas reperiemus verissimas duas. Primum, quod genus erat orationis Asiaticum adolescentiae magis concessum quam senectuti. Genera autem Asiaticae dictionis duo sunt: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis, qualis in historia Timaeus, in dicendo autem, pueris nobis, Hierocles Alabandeus, magis etiam Meneclis, frater eius, fuit, quorum utriusque orationes sunt in primis, ut Asiatico in genere, laudabiles. Aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum quam verbis volucre atque incitatum, quale est nunc Asia tota, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum, in quo fuit Aeschylus Cnidius et meus aequalis Milesius Aeschines. In his erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat. 326. Haec autem, ut dixi, genera dicendi aptiora sunt adolescen-



tibus, in senibus gravitatem non habent. Itaque Hortensius, utroque genere florens, clamores faciebat adulescens. Habebat enim et Meneclium illud studium crebrarum venustarumque sententiarum, (in quibus, ut in illo Graeco, sic in hoc erant quaedam magis venustae dulcesque sententiae quam aut necessariae aut interdum utiles); et erat oratio cum incitata et vibrans, tum etiam accurata et polita. Non probabantur haec senibus (saepe videbam cum iridentem, tum etiam irascentem et stomachantem Philippum), sed mirabantur adulescentes, multitudo movebatur. 327. (Erat excellens iudicio vulgi, et facile primas tenebat adulescens. Etsi enim genus illud dicendi auctoritatis habebat parum, tamen aptum esse aetati videbatur). Et certe, quod et ingenii quaedam forma lucebat et exercitatione perfecta erat verborum eratque astricta comprehensio, summam hominum admirationem excitabat.

Sed cum iam honores et illa senior auctoritas gravius quiddam requireret, remanebat idem nec decebat idem; quodque exercitationem studiumque dimiserat, quod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa crebritasque sententiarum pristina manebat, sed ea vestitu illo orationis, quo consuerat, ornata non erat. Hoc tibi ille, Brute, minus fortasse placuit, quam placuisset, si illum flagrantem studio et florentem facultate audire potuisses...

## LAELIUS SIVE DE AMICITIA

### Elogiul prieteniei

VI. 20. Est amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benivolentia et caritate consensus, qua quidem haud scio an excepta sapientia nihil melius homini sit a dis immortalibus datum. Divitias alii praeponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. Beluarum hoc quidem extremum; illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in consiliis nostris quam in fortunae temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem; sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet, nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest.

21. Iam virtutem ex consuetudine vitae sermonisque nostri interpretemur, nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur, virosque bonos eos qui habentur, numeremus, Paulos, Catones, Galos, Scipiones, Philos: his communis vita contenta est; eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur.

22. Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix quoque dicere. Principio qui potest esse vita „vitalis“, ut ait Ennius, quae

non in amici mutua benivolentia conquiescit? Quid dulcius quam habere quicum omnia audeas sic loqui ut tecum? Qui esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes qui illis acque ac tu ipse gauderet? adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam quam tu ferret. Denique ceterae res, quae expetuntur, opportunae sunt singulae rebus fere singulis, divitiae ut utare, opes, ut colare: honores, ut laudare, voluptates, ut gaudeas, valetudo, ut dolore careas et muneribus fungare corporis; amicitia res plurimas continet: quoque te verteris, praesto est, nullo loco excluditur, numquam intempestiva, numquam molesta est; itaque non aqua, non igni, ut aiunt, locis pluribus utimur quam amicitia. Neque ego nunc de vulgari aut de mediocri, quae tamen ipsa et delectat et prodest, sed de vera et perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam et secundas res splendidiores facit amicitia et adversas partiens communicansque leviores.

VII. 23. Cumque plurimas et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum praestat omnibus, quod bonam spem praelucet in posterum nec debilitari animos aut cadere patitur. Verum enim amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca et absentes adsunt et egentes abundant et imbecilli valent et, quod difficilium dictu est, mortui vivunt; tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. Ex quo illorum beata mors videtur, horum vita laudabilis.

Quodsi exemeris ex rerum natura benivolentiae coniunctionem, nec domus ulla nec urbs stare poterit, ne agri quidem cultus permanebit. Id si minus intelligitur, quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensionibus atque ex discordiis perspicitur potest. Quae enim domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis et discidiis funditus possit everti? Ex quo, quantum boni sit in amicitia, iudicari potest.

## DE OFFICIIS

### LIBER PRIMUS

#### Dragostea de studiu

VI. 18. Ex quatuor autem locis in quos honesti naturam vimque divisimus, primus ille, qui in veri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducimus. In hoc genere et naturali et honesto, duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamus; quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam. 19. Alterum



est vitium, quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quibus vitii declinatis, quod in rebus honestis et cognitione dignis operae curaque ponetur, id iure laudabitur: ut in astrologia C. Sulpicium audivimus; in geometria Sext. Pompeium ipsi cognovimus; multos in dialecticis, plures in iure civili. Quae omnes artes in veri investigatione versantur; cuius studio a rebus gerendis abduci contra officium est. Virtutis enim laus omnis in actione consistit; a qua tamen saepe fit intermissio, multique dantur ad studia reditus: tum agitatio mentis, quae nunquam acquiescit, potest nos in studiis cogitationis, etiam sine opera nostra, continere. Omnis autem cogitatio motusque animi aut in consiliis capiendis de rebus honestis et pertinentibus ad bene beateque vivendum, aut in studiis scientiae cognitionisque versatur. Ac de primo quidem officii fonte diximus.

**XLIV. 155.** Atque illi, quorum studia vitaeque omnis in rerum cognitione versata est, tamen ab augendis hominum utilitatibus et commodis non recesserunt. Nam erudiverunt multos, quo meliores cives utilioresque in rebus suis publicis essent; ut Thebanum Epaminondam Lysis Pythagoreus Syracusium Dionem Plato, multique multos; nosque ipsi, quidquid ad rempublicam attulimus, si modo aliquid attulimus, a doctoribus atque a doctrina instructi ad eam et ornati accessimus. **156.** Neque solum vivi atque praesentes studiosos discendi erudiunt atque docent, sed hoc idem etiam post mortem monumentis litterarum assequuntur. Nec enim locus ullus praetermissus est ab iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad disciplinam reipublicae pertineret; ut otium suum ad nostrum negotium contulisse videantur.

Ita illi ipsi, doctrinae studiis et sapientiae dediti, ad hominum utilitatem suam intelligentiam prudentiamque potissimum conferunt. Ob eamque causam eloqui copiose, modo prudenter, melius est quam vel acutissime sine eloquentia cogitare, quod cogitatio in se ipsa vertitur, eloquentia complectitur eos quibuscum communitate iuncti sumus.

**157.** Atque ut apum examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed, quum congregabilia natura sint, fingunt favos, sic homines, ac multo etiam magis, natura congregati, adhibent agendi cogitandique solertiam. Itaque nisi ea virtus, quae constat ex hominibus tuendis, id est ex societate generis humani, attingat rerum cognitionem, solivaga cognitio et ieiuna videatur; itemque magnitudo animi, remota communitate coniunctioneque humana, feritas sit quaedam et immanitas. Ita fit ut vincat cognitionis studium consociatio hominum atque communitas. **158.** Nec verum est quod dicitur a quibusdam, propter necessitatem vitae, quod ea quae natura desideraret consequi sine aliis atque efficere non possemus, idcirco istam esse cum hominibus communitatem et societatem; quod si omnia nobis, quae ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut aiunt, suppeditarentur, tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione et scientia collocaret. Non est ita. Nam et solitudinem fugeret, et socium studii quaereret; tum docere vellet, tum discere, tum audire, tum dicere. Ergo omne officium quod ad coniunctionem hominum et ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio quod cognitione et scientia continetur.

## LIBER TERTIUS

## Critica tiranilor

**XXI. 82.** Quid? qui omnia recta et honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur, nonne idem faciunt quod is qui etiam socerum habere voluit eum, cuius ipse audacia potens esset? Utile ei videbatur plurimum posse alterius invidia. Id quam iniustum in patriam, quam inutile, quam turpe esset, non videbat. Ipse autem socer in ore semper Graecos versus Euripidis de Phoenissis habebat, quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intelligi:

Nam, si violandus est ius, regnandi gratia

Violandum est; aliis rebus pietatem colas.

Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum quod omnium sceleratissimum fuerat exceperit. **83.** Quid igitur minuta colligimus, hereditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupierit, idque perfecit. Hanc cupiditatem si honestam quis esse dicit, amens est. Probat enim legum et libertatis interitum, earumque oppressionem, tetram et detestabilem, gloriosam putat. Qui autem fatetur honestum non esse in ea civitate, quae libera fuit quaeque esse debeat, regnare, sed ei qui id facere possit esse utile qua hunc obiurgatione aut quo potius convitio a tanto errore coner avellere? Potest enim, Dii immortales! cuiquam esse utile foedissimum et teterrimum parricidium patriae, quamvis is qui se eo obstrinxerit ab oppressis civibus Parens nominetur? Honestate igitur dirigenda utilitas est, et quidem sic ut haec duo verbo inter se discrepare, re tamen unum sonare videantur. **84.** Non habeo, ad vulgi opinionem, quae maior utilitas quam regnandi esse possit; nihil contra inutilius et qui id iniuste consecutus sit invenio, quum ad veritatem coepi revocare rationem. Possunt enim cuiquam esse utiles angores, sollicitudines, diurni et nocturni metus, vita insidiarum periculorumque plenissima?

Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni, inquit Attius. At cui regno? quod a Tantalo et Pelope proditum iure obtinebatur. Nam quanto plures ei regi putas, qui exercitu populi Romani populum ipsum Romanum oppressisset, civitatemque non modo liberam, sed etiam gentibus imperantem, servire sibi cogisset? **85.** Hunc tu quas conscientiae labes in animo censes habuisse? quae vulnera? Cuius autem vita ipsi potest utilis esse, quum eius vitae ea conditio sit ut, qui illam eripuerit, in maxima et gratia futurus sit et gloria? Quod si haec utilia non sunt, quae maxime videntur, quia plena sunt dedecoris ac turpitudinis, satis persuasum esse debet nihil esse utile quod non honestum sit.



## EPISTULAE

## AD ATTICUM

## LIBER QUARTUS

## Cicero Attico Sal

## I

1. Cum primum Romam veni fuitque cui recte ad te litteras darem, nihil prius faciendum mihi putavi quam ut tibi absentem de reditu nostro gratularer. Cognoram enim, ut vere scribam, te in consiliis mihi dandis nec fortio rem nec prudentio rem quam me ipsum, nec etiam pro mea in te observantia nimium in custodia salutis meae diligentem, eundemque te, qui primis temporibus erroris nostri aut potius furoris particeps et falsi timoris socius fuisses, acerbissime discidium nostrum tulisse plurimumque operae, studii, diligentiae, laboris ad conficiendum reditum meum contulisse. 2. Itaque hoc tibi vere adfirmo, in maxima laetitia et exoptatissima gratulatione unum ad cumulandum gaudium conspectum aut potius complexum mihi tuum defuisse, quem semel nactus numquam dimisero, ac nisi etiam praetermissos fructus tuae suavitatis praeteriti temporis omnes exegero, profecto hac restitutione fortunae me ipse non satis dignum iudicabo. 3. Nos adhuc in nostro statu quod difficillime recipere posse arbitrati sumus, splendorem nostrum illum forensem et in senatu auctoritatem et apud viros bonos gratiam magis, quam optaramus consecuti sumus. In re autem familiari, quae quemadmodum fracta, dissipata, direpta sit, non ignoras, valde laboramus tuarumque non tam facultatum, quas ego nostras esse iudico, quam consiliorum ad colligendas reliquias nostras indigemus. 4. Nunc, etsi omnia aut scripta esse a tuis arbitror aut etiam nuntiis ac rumore perlata, tamen ea tibi scribam brevi, quae te puto potissimum ex meis litteris velle cognoscere. Pridie Nonas Sext. Dyrrachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis. Brundisium veni nonis Sext. Ibi mihi Tulliola mea fuit praesto natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat et Brundisinae coloniae et tuae vicinae Salutis: quae res animadversa a multitudine summa Brundisinorum gratulatione celebrata est. Ante diem VI Id. Sext. cognovi litteris Quinti mirifico studio omnium aetatum atque ordinum, incredibili concursu Italiae legem comitiis centuriatis esse perlatam. Inde a Brundisinis honestissimis... ornatus iter ita feci, ut undique ad me cum gratulatione legati convenerint. 5. Ad Urbem ita veni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit qui mihi obviam non venerit profectus eos inimicos, quibus id ipsum, se inimicos esse, non liceret aut dissimulare aut negare. Cum venissem ad portam Capenam, gradus templorum ab infimo plebe completi erant, a qua plausu maximo cum esset mihi gratulatio significata, similis

et frequentia et plausus me usque ad Capitolium celebravit, in foroque et in ipso Capitolio miranda multitudo fuit: postridie in senatu, qui fuit dies Nonarum Septembr., senatui gratias egimus. 6. Eo biduo cum esset annonae summa caritas et homines ad theatrum primo, deinde ad senatum concurrissent, impulsu Clodii mea opera frumenti inopiam esse clamarent, cum per eos dies senatus de annona haberetur et ad eius procuracionem sermone non solum plebis, verum etiam bonorum Pompeius vocaretur idque ipse cuperet, multitudoque a me nominatim, ut id decernerem, postularet, feci et accurate sententiam dixi. Cum abessent consulares, quod tuto se negarent posse sententiam dicere, praeter Messallam et Afranium, factum est senatusconsultum in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur ut eam rem susciperet lexque ferretur: quo senatusconsulto recitato cum contio, more hoc insulso et novo, plausum meo nomine recitando dedisset, habui contionem: omnes magistratus praesentes praeter unum praetorem et duos tribunos pl. dederunt. 7. Postridie senatus frequens et omnes consulares nihil Pompeio postulanti negarunt. Ille legatos quindecim cum postularet, me principem nominavit et ad omnia me alterum se fore dixit. Legem consules conscripserunt, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur: alteram Messius, qui omnis pecuniae dat potestatem et adiungit classem et exercitum et maius imperium in provinciis quam sit eorum, qui eas obtineant. Illa nostra lex consularis nunc modesta videtur, haec Messii non ferenda. Pompeius illam velle se dicit, familiares hanc. Consulares duce Favonio fremunt, nos tacemus, et eo magis, quod de domo nostra nihil adhuc pontifices responderunt. Qui si sustulerint religionem, aream praeclaram habebimus, superficiem consules ex senatus consulto aestimabunt: sin aliter, demolientur, suo nomine locabunt, rem totam aestimabunt. 8. Ita sunt res nostrae, ut in secundis, fluxae, ut in adversis, bonae. In re familiari valde sumus, ut scis, perturbati. Praeterea sunt quaedam domestica, quae litteris non committo. Quintum fratrem insigni pietate, virtute, fide praeditum sic amo, ut debeo. Te exspecto et oro ut matures venire eoque animo venias, ut me tuo consilio egere non sinas. Alterius vitae quoddam initium ordimur. Iam quidam, qui nos absentes defenderunt, incipiunt praesentibus occulte irasci, aperte invidere. Vehementer te requirimus.

## LIBER OCTAVUS

### III

#### CICERO ATTICO SAL

1. Maximis et miserrimis rebus perturbatus, cum coram tecum mihi potestas deliberandi non esset, uti tamen tuo consilio volui; deliberatio autem omnis haec est: si Pompeius Italia cedat, quod eum facturum esse suspicor, quid mihi agendum putes, et, quo facilius consilium dare possis,



quid in utramque partem mihi in mentem veniat explicabo brevi. 2. Cum merita Pompeii summa erga salutem meam familiaritasque, quae mihi cum eo est, tum ipsa rei publicae causa me adducit, ut mihi vel consilium meum cum illius consilio vel fortuna cum eius fortuna coniungenda esse videatur. Accedit illud: si maneo et illum comitatum optimorum et clarissimorum civium desero, cadendum est in unius potestatem, qui, etsi multis rebus significat se nobis esse amicum — et, ut esset, a me est — tute scis — propter suspicionem huius independentis tempestatis multo ante provisum. — tamen utrumque considerandum est, et quanta fides et sit habenda et, si maxime exploratum sit cum nobis amicum fore, sitne viri fortis et boni civis esse in ea urbe, in qua, cum summis honoribus imperiisque usus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo praeditus, nullus sit futurus subeundumque periculum sit cum aliqua labe dedecoris, si quando Pompeius rem publicam recuperarit. 3. In hac parte haec sunt; vide nunc, quae sint in altera. Nihil actum est a Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter, addo etiam, nihil nisi contra consilium auctoritatemque meam; omitto illa vetera, quod istum in rem publicam ille aluit, auxit, armavit, ille legibus per vim et contra auspicia ferendis auctor, ille Galliae ulterioris adiunctor, ille gener, ille in adoptando P. Clodio augur, ille restituendi mei quam retinendi studiosior, ille provinciae propagator, ille absentis in omnibus rebus adiutor; idem etiam tertio consulatu, postquam esse defensor rei publicae coepit, contendit, ut decem tribuni pl. ferrent, ut absentis ratio haberetur, quod idem ipse sanxit lege quadam sua, Marcoque Marcello consuli, finienti provinciae Galliae Kalendarum Martiarum die, restitit — sed, ut haec omitterem, quid foedius, quid perturbatius hoc ab urbe discessu sive potius turpissima fuga? Quae condicio non accipienda fuit potius quam relinquenda patria? malae condiciones erant, fateor, sed num quid hoc peius? 4. „At recuperabit rem publicam“. Quando? aut quid ad eam spem est parati? Non ager Picenus amissus? non patefactum iter ad urbem? non pecunia omnis et publica et privata adversario tradita? Denique nulla causa, nullae vires, nulla sedes, quo concurrant qui rem publicam defensam velint. Apulia delecta est, inanissima pars Italiae et ab impetu huius belli remotissima, fuga et maritima opportunitas visa quaeri desperatione victoriae. Reieci Capuam, non quo munus illud defugerem, sed in ea causa, in qua nullus esset ordinum, nullus apertus privatorum dolor, bonorum autem esset aliquis, sed hebes, ut solet, et, ut ipse sensissem, multitudo et infimus quisque propensus in alteram partem, multi mutationis rerum cupidi. Dixi ipsi me nihil suscepturum sine praesidio et sine pecunia. 5. Itaque habui nihil omnino negotii, quod ab initio vidi nihil quaeri praeter fugam. Eam si nunc sequor, quonam? Cum illo non: ad quem cum essem profectus, cognovi in iis locis esse Caesarem, ut tuto Luceriam venire non possem. Infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima navigandum est. Age iam cum fratre an sine eo? cum filio? an quo modo? In utraque enim re summa difficultas erit, summus animi dolor. Qui autem impetus illius erit in nos absentes fortunasque nostras? Acrior quam in ceterorum, quod putabit fortasse in nobis violandis aliquid se habere populare. Age iam, has compedes, fasces, inquam, hos laureatos efferre ex Italia quam molestum est! Qui autem locus erit nobis tutus, ut iam placatis utamur fluctibus, ante quam ad illum venerimus? Qua autem aut

quo, nihil scimus. 6. At, si restitero et fuerit nobis in hac parte locus, idem fecero quod in Cinnae dominatione L. Philippus, quod L. Flaccus, quoquo modo ea res huic quidem cecidit, qui tamen ita dicere solebat, se id fore videre, quod factum est, sed malle quam armatum ad patriae moenia accedere. Aliter Thrasybulus, et fortasse melius. Sed est certa quaedam illa Mucii ratio atque sententia; est illa etiam Thrasybuli, et, cum sit necesse, servire tempori et non amittere tempus, cum sit datum. Sed in hoc ipso habent tamen iidem fascēs molestiam. Sit enim nobis amicus, quod incertum est, sed sit, deferet triumphum. Non accipere vereor, ne periculosum sit apud ipsum; accipere invidiosum ad bonos. O rem, inquis, difficilem et inexplicabilem! Atqui explicanda est. Quid enim fieri potest? Ac ne me existimaris ad manendum esse propensorem, quod plura in eam partem verba fecerim; potest fieri, quod fit in multis quaestionibus, ut res verbosior haec fuerit, illa verior. Quamobrem, ut maxima de re aequo animo deliberanti, ita mihi des consilium velim: navis et in Caieta est parata nobis et Brundisii.

7. Sed ecce nuntii, scribente me haec ipsa noctu in Caleno, ecce litterae Caesarem ad Corfinium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu et pugnare cupiente: non puto etiam hoc Gnaecum nostrum commissurum, ut Domitium relinquat; etsi Brundisium Scipionem cum cohortibus duabus praemiseraat, legionem Fausto conscriptam in Siciliam sibi placere a consule duci scripserat ad consules; sed turpe Domitium deserere erit implorantem eius auxilium. Est quaedam spes, mihi quidem non magna, sed in his locis firma, Afranium in Pyrenaeo cum Trebonio pugnasse, pulsum Trebonium, etiam Fabium tuum transisse cum cohortibus; summa autem, Afranium cum magnis copiis adventare: id si est, in Italia fortasse manebitur; ego autem, cum esset incertum iter Caesaris, quod vel ad Capuam vel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompeium misi et litteras; ipse, ne quo inciderem, reverti Formias. Haec te scire volui scripsique sedatiore animo, quam proxime scripseram, nullum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum.

## LIBER NONUS

### XI-a

#### CICERO IMP. S.D. CAESARI IMP.

1. Ut legi tuas litteras, quas a Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad Urbem essem, te velle uti consilio et dignitate mea, minus sum admiratus: de gratia et de ope quid significares, mecum ipse quaerebam, spe tamen deducebar ad eam cogitationem, ut te pro tua admirabili ac singulari sapientia de otio, de pace, de concordia civium agi velle arbitrarer, et ad eam rationem existimabam satis aptam esse et naturam et personam meam. 2. Quod si ita est et si qua de Pompeio nostro tuendo et tibi ac rei



publicae reconciliando cura te attingit, magis idoneum, quam ego sum, ad eam causam profecto reperies neminem, qui et illi semper et senatui, cum primum potui, pacis auctor fui nec sumptis armis belli ullam partem attigi iudicavique eo bello te violari, contra cuius honorem, populi Romani beneficio concessum, inimici atque invidi niterentur. Sed, ut eo tempore non modo ipse fautor dignitatis tuae fui, verum etiam ceteris auctor ad te adiuvandum, sic me nunc Pompeii dignitas vehementer movet; aliquot enim sunt anni, cum vos duo delegi, quos praecipue colerem et quibus essem, sicut sum, amicissimus. 3. Quamobrem a te peto vel potius omnibus te precibus oro et obtestor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi, ut tuo beneficio bonus vir, gratus, pius denique esse in maximi beneficii memoria possim. Quae si tantum ad me ipsum pertinerent, sperarem me a te tamen impetraturum, sed, ut arbitror, et ad tuam fidem et ad rem publicam pertinent me ex paucis et ad utriusque vestrum et ad civium concordiam per te quam accommodatissimum conservari. Ego, cum antea tibi de Lentulo gratias egissem, quod ei salutem, qui mihi fuerat, fuisses, tum lectis eius litteris, quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate beneficioque misit, eandem me salutem a te accepisse putavi quam ille; in quem si me intellegis esse gratum, cura, obsecro, ut etiam in Pompeium esse possim.

## LIBER UNDECIMUS

### VI

#### CICERO ATTICO SALUTEM DICIT

1. Sollicitum esse te cum de tuis communibusque fortunis tum maxime de me ac de dolore meo sentio; qui quidem meus dolor non modo non minuitur, cum socium sibi adiungit dolorem tuum, sed etiam augetur. Omnino pro tua prudentia sentis, qua consolatione levare maxime possim; probas enim meum consilium negasque mihi quicquam tali tempore potius faciendum fuisse. Addis etiam — quod etsi mihi levius est quam tuum iudicium, tamen non est leve — ceteris quoque, id est, qui pondus habeant, factum nostrum probari: id si ita putarem levius dolerem. 2. „Crede,“ inquis, „mihi“. Credo equidem, sed scio, quam cupias minui dolorem meum. Me discessisse ab armis nunquam paenituit: tanta erat in illius crudelitas, tanta cum barbaris gentibus coniunctio, ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata, ut iam omnium iudicio omnium constitutum esset vestrum bona praedam esse illius victoriae; „vestrum“ plane dico, numquam enim de te ipso nisi crudelissime cogitatum est; quare voluntatis me meae numquam paenitebit: consilii paenitet. In oppido aliquo malletem resedissem, quoad arcesserem: minus sermonis subissem, minus accepissem doloris; ipsum hoc me non angeret. Brundisii iacere in omnes partes est molestum. Propius

accedere, ut suades, quomodo sine lictoribus, quos populus dedit, possum? qui mihi incolumi adimi non possunt; quos ego nunc paulisper cum bacillis in turbam conieci, ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret.

3. Reliquo tempore me domi tenui ad oppidum, et quoniam eo displiceret modo propius accedere, ut hac de re considerarent. Credo fore auctores; sic enim recipiunt, Caesari non modo de conservanda, sed etiam de augenda mea dignitate curae fore, meque hortantur, ut magno animo sim, ut omnia summa sperem: ea spondent, confirmant, quae quidem mihi exploratiora essent, si remansissem. Sed ingero praeterita: vide, quaeso, igitur ea, quae restant, et explora cum istis et, si putabis opus esse et si istis placebit, quo magis factum nostrum Caesar probet quasi de suorum sententia factum, adhibeantur Trebonius, Pansa, si qui alii, scribantque ad Caesarem me, quidquid fecerim, de sua sententia fecisse.

4. Tulliae meae morbus et imbecillitas corporis me exanimat, quam tibi intellego magnae curae esse, quod est mihi gratissimum. 5. De Pompeii exitu mihi dubium numquam fuit; tanta enim desperatio rerum eius omnium regum et populorum animos occuparat, ut, quocumque venisset, hoc putarem futurum: non possum eius casum non dolere; hominem enim integrum et castum et gravem cognovi. 6. De Fannio consoler te? perniciose loquebatur de mansione tua; L. vero Lentulus Hortensii domum sibi et Caesaris hortos et Baias desponderat. Omnino haec eodem modo ex hac parte fiunt, nisi quod illud erat infinitum; omnes enim, qui in Italia manserant, hostium numero habebantur. Sed velim haec aliquando solutiore animo. 7. Quintum fratrem audio profectum in Asiam, ut deprecaretur; de filio nihil audivi, sed quare ex Diochare, Caesaris liberto, quem ego non vidi, qui istas Alexandria litteras attulit. Is dicitur vidisse euntem an iam in Asia. Tuas litteras, prout res postulat, exspecto; quas velim cures quam primum ad me perferendas. III K. Decembr.

## AD FAMILIARES

### LIBER QUINTUS

#### XII

#### M. CICERO S.D. LUCCEIO Q.F.

1. Coram me tecum eadem haec agere saepe conantem deterruit pudor quidam paene subrusticus, quae nunc expromam absens audacius: epistula enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis.



Quod etsi mihi saepe ostendisti te esse facturum, tamen ignoscas velim huic festinationi meae. Genus enim scriptorum tuorum, etsi erat semper a me vehementer exspectatum, tamen vicit opinionem meam meque ita vel cepit, vel incendit, ut cuperem quam celerrime res nostras monumentis commendari tuis. Neque enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitas rapit, sed etiam illa cupiditas, ut vel auctoritate testimonii tui vel indicio benevolentiae vel suavitate ingenii vivi perfruamur. 2. Neque tamen, haec cum scribebam, eram nescius quantis oneribus premerere susceptarum rerum et iam institutarum, sed quia videbam Italici belli et civilis historiam iam a te paene esse perfectam (dixeras autem mihi reliquas res ordiri), deesse mihi nolui quin te admonerem, ut cogitares coniunctene mallet cum reliquis rebus nostra contexere an, ut multi Graeci fecerunt, Callisthenes Phocicum bellum, Timaeus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes a perpetuis suis historiis ea, quae dixi, bella separaverunt, tu quoque item civilem coniurationem ab hostilibus externisque bellis seiungeres. Equidem ad nostram laudem non multum video interesse, sed ad properationem meam quiddam interest, non te exspectare, dum ad locum venias, ac statim causam illam totam et tempus adripere. Et simul, si uno in argumento unaque in persona mens tua tota versabitur, cerno iam animo, quanto omnis uberiora atque ornatiores futura sint. Neque tamen ignoro quam impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam — potest enim mihi denegare occupatio tua —, deinde etiam, ut ornes me, postulem. Quid, si illa tibi non tanto opere videntur ornanda? 3. Sed tamen, qui semel verecundiae fines transierit, eum bene et naviter oportet esse impudentem. Itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut et ornes ea vehementius etiam quam fortasse sentis et in eo leges historiae negligas gratiamque illam, de qua suavissime quodam in prooemio scripsisti, a qua te flecti non magis potuisse demonstras quam Herculem Xenophontium illum a Voluptate, eam, si me tibi vehementius commendabit, ne aspernere amorique nostro plusculum etiam quam concedet veritas largiare. Quod si te adducemus ut hoc suscipias, erit, ut mihi persuadeo, materies digna facultate et copia tua. 4. A principio enim coniurationis usque ad reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse, in quo et illa poteris uti civilium commutationum scientia vel in explicandis causis rerum novarum vel in remediis incommodorum, cum et reprehendes ea, quae vituperanda duces, et quae placebunt exponendis rationibus comprobabis, et, si liberius, ut consuisti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, proditorem notabis. Multam etiam casus nostri varietatem tibi in scribendo suppeditabunt, plenam cuiusdam voluptatis, quae vehementer animos hominum in legendo, te scriptore, retinere possit. Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris quam temporum varietates fortunaque vicissitudines: quae etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundae: habet enim praeteriti doloris secreta recordatio delectationem. 5. Ceteris vero, nulla perfunctis propria molestia, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus, ipsa misericordia est iucunda. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi evelli iubet spiculum, postea quam ei percontanti dictum est clipeum esse salvum, ut etiam in vulneris dolore aequo animo cum laude

moreretur. Cuius studium in legendo non erectum Themistocli fuga redituque retinetur? Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet quasi enumeratione fastorum: at viri saepe excellentis acipites variique casus habent admirationem, exspectationem, laetitiam, molestiam, spem, timorem; si vero exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissima lectionis voluptate. 6. Quo mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut a continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum eventorumque nostrorum: habet enim varios actus multasque actiones et consiliorum et temporum. Ac non vereor ne adsentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar, cum hoc demonstrum, me a te potissimum ornari celebrarique velle. Neque enim tu is es, qui quid sis nescias et qui non eos magis, qui te non admirentur, invidios quam eos, qui laudent, adsentatores arbitrere. Neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternae gloriae per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii gloriam consequantur. 7. Neque enim Alexander ille gratiae causa ab Apelle potissimum pingi et a Lysippo fingi volebat, sed quod illorum artem cum ipsis tum etiam sibi gloriae fore putabat. Atque illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant: quae vel si nulla sint, nihilo sint tamen obscuriores clari viri. Nec minus est Spartiatus Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse, quam qui in eo genere laborarunt: unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium statusque superavit. Atque hoc praestantius mihi fuerit et ad laetitiam animi et ad memoriae dignitatem, si in tua scripta pervenero, quam si in ceterorum, quod non ingenium mihi solum suppeditatum fuerit tuum, sicut Timoleonti a Timaeo aut ab Herodoto Themistocli, sed etiam auctoritas clarissimi et spectatissimi viri et in rei publicae maximis gravissimisque causis cogniti atque in primis probati: ut mihi non solum praeconium, quod, cum in Sigeum venisset, Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam grave testimonium impertitum clari hominis magnique videatur. Placet enim Hector ille mihi Naevianus, qui non tantum „laudari“ se laetatur, sed addit etiam „a laudato viro“. 8. Quod si a te non impetro, hoc est, si quae te res impedit, — neque enim fas esse arbitror quidquam me rogantem abs te non impetrare — cogar fortasse facere, quod nonnulli saepe reprehendunt: scribam ipse de me multorum tamen exemplo et clarorum virorum. Sed, quod te non fugit, haec sunt in hoc genere vitia: et verecundius ipsi de sese scribant necesse est, si quid est laudandum, et praetereant, si qui reprehendendum est. Accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant et dicant verecundiores esse praecones ludorum gymnycorum, qui cum ceteris coronas imposuerint victoribus, eorumque nomine magna voce pronuntiarint, cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium praeconem adhibeant, ne sua voce se ipsi victores esse praedicent. 9. Haec nos vitare cupimus et, si recipis causam nostram, vitabimus; idque ut facias rogamus. Ac ne forte mirere cur, cum mihi saepe ostenderis te accuratissime nostrorum temporum consilia atque eventus litteris mandaturum, a te id nunc tanto opere et tam multis verbis petamus, illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quod alacres animo sumus, ut et ceteri viventibus nobis ex libris tuis nos cog-



noscant et nosmet ipsi vivi gloriola nostra perfruamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi velim. Si enim suscipis causam, conficiam commentarios rerum omnium; sin autem differs me in tempus aliud, coram tecum loquar. Tu interea non cessabis et ea, quae habes instituta, perpolies, nosque diliges.

## LIBER SEPTIMUS

### XXIII

#### M. CICERO S. D. M. FADIO GALLO

1. Tantum quod ex Arpinati veneram, cum mihi a te litterae redditae sunt: ab eodemque accepi Avianii litteras, in quibus hoc inerat liberalissimum, nomina se facturum, cum venisset, qua ego vellem die. Fac, quaeso, qui ego sum, esse te: estne aut tui pudoris aut nostri, primum rogare de die, deinde plus annua postulare? Sed essent, mi Galle, omnia facilia, si et ea mercatus esses, quae ego desiderabam, et ad eam summam, quam volueram. Ac tamen ista ipsa, quae te emisse scribis, non solum rata mihi erunt, sed etiam grata: plane enim intellego te non modo studio, sed etiam amore usum, quae te delectarint, hominem, ut ego semper iudicavi, in omni iudicio elegantissimum, quia me digna putaris, coemisse. 2. Sed velim maneat Damasippus in sententia: prorsus enim ex istis emptionibus nullam desidero. Tu autem ignarus instituti mei, quanti ego genus omnino signorum omnium non aestimo, tanti ista quattuor aut quinque sumpsisti. Bacchas istas cum Musis Metelli comparas. Quid simile? primum ipsas ego Musas numquam tanti putassem atque id fecissem Musis omnibus approbantibus: sed tamen erat aptum bibliothecae studiisque nostris congruens. Bacchis vero ubi est apud me locus? — At pulchellae sunt — Novi optime et saepe vidi. Nominatim tibi signa mihi nota mandassem, si probassem. Ea enim signa ego emere soleo, quae ad similitudinem gymnasiolorum exornat mihi in palaestra locum. Martis vero signum quo mihi pacis auctori? Gaudeo nullum Saturni signum fuisse: haec enim duo signa putarem mihi aes alienum attulisse. Mercurii mallet aliquod fuisse: felicius, puto, cum Aviano transigere possemus. 3. Quod tibi destinaras trapezophorum, si te delectat, habebis: sin autem sententiam mutasti, ego habebo scilicet. — Ista quidem summa ne ego multo libentius emerim deversorium Tarracinae, ne semper hospiti molestus sim. Omnino liberti mei video esse culpam, cui plane res certas mandaram, itemque Iunii, quem puto tibi notum esse, Avianii familiarem. Exhedria quaedam mihi nova sunt instituta in porticula Tusculani. Ea volebam tabellis ornare: etenim, si quid generis istius modi me delectat, pictura delectat. Sed tamen, si ista mihi sunt habenda, certiore velim

me facias ubi sint, quando arcessantur, quo genere vecturae. Si enim Damasippus in sententia non manebit, aliquem Pseudodamasippum vel cum iactura reperiemus.

4. Quod ad me de domo scribis iterum, iam id ego proficiscens mandaram meae Tulliae: ea enim ipsa hora acceperam tuas litteras. Egeram etiam cum tuo Nicia, quod is utitur, ut scis, familiariter Cassio. Ut redi autem, prius quam tuas legi has proximas litteras, quaesivi de mea Tullia quid egisset. Per Liciniam se egisse dicebat, sed opinor Cassium uti non ita multum sorore: eam porro negare se audere, cum vir abesset — est enim profectus in Hispaniam Dexius — illo et absente et insciente migrare. Est mihi gratissimum tanti a te aestimatam consuetudinem vitae victusque nostri, primum, ut eam domum sumeres, ut non modo prope me, sed plane mecum habitare posses, deinde ut migrare tanto opere festines. Sed ne vivam, si tibi concedo, ut eius rei tu cupidior sis quam ego sum. Itaque omnia experiar. Video enim quid mea intersit, quid utriusque nostrum. Si quid egero, faciam ut scias. Tu et ad omnia rescribes et quando te exspectem facies me, si tibi videtur, certiozem.

## LIBER DUODECIMUS

### XXII

#### CICERO CORNIFICIO S.

1. Nos hic cum homine gladiatore omnium nequissimo, collega nostro Antonio, bellum gerimus, sed non pari condicione, contra arma verbis. At etiam de te contionatur nec impune: nam sentiet quos lacesierit. Ego autem acta ad te omnia arbitror perscribi ab aliis: a me futura debes cognoscere, quorum quidem non est difficilis coniectura. 2. Oppressa omnia sunt, nec habent ducem boni, nostrique tyrannoctoni longe gentium absunt. Pansa et sentit bene et loquitur fortiter: Hirtius noster tardius convalescit. Quid futurum sit plane nescio. Spes tamen una est aliquando populum Romanum maiorum similem fore. Ego certe rei publicae non deero et, quicquid acciderit, a quo mea culpa absit, animo forti feram. Illud profecto, quoad potero: tuam famam et dignitatem tuebor. 3. A.d. XIII Kalendas Ianuar. senatus haud frequens mihi est adsensus cum de ceteris rebus magnis et necessariis, tum de provinciis ab iis, qui obtinerent, retinendis neque cuiquam tradendis nisi qui ex senatus consulto successisset. Hoc ego cum rei publicae causa censui, tum mehercule in primis retinendae dignitatis tuae. Quamobrem te amoris nostri causa rogo, rei publicae causa hortor, ut ne cui quicquam iuris in tua provincia esse patiari atque ut omnia referas ad dignitatem, qua nihil esse potest praestantius. 4. Vere tecum agam, ut necessitudo nostra



postulat : in Sempronio, si meis litteris obtemperasses, maximam ab omnibus laudem adeptus esses. Sed illud et praeteriit et levius est. Haec magna res est : fac ut provinciam retineas in potestate rei publicae. Plura scripsissem, nisi tui festinarent. Itaque Chaerippo nostro me velim excuses.

## LIBER QUARTUS DECIMUS

### I

#### TULLIUS TERENCEIAE SUAE, TULLIOLAE SUAE, CICERONI SUO S.D.

1. Et litteris multorum et sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem et fortitudinem esse, teque nec animi neque corporis laboribus defatigari. Me miserum! te ista virtute, fide, probitate, humanitate in tantas aerumnas propter me incidisse! Tulliolamque nostram, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! Nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primum sapere coepit, acerbissimos dolores miseriasque percepit. Quae si, tu ut scribis, fato facta putarem, ferrem paulo facilius; sed omnis sunt mea culpa commissa, qui ab iis me amari putabam, qui invidabant, eos non sequebar, qui petebant. 2. Quod si nostris consiliis usi essemus neque apud nos tantum valuisset sermo aut stultorum amicorum aut improborum, beatissimi viveremus. Nunc, quoniam sperare nos amici iubent, dabo operam ne mea valetudo tuo labori desit. Res quanta sit intellego quantoque fuerit facilius manere domi quam redire.

## LIBRI QUINTUS DECIMUS

### XV

#### M. CICERO S.D.C. CASSIO

1. Etsi uterque nostrum spe pacis et odio civilis sanguinis abesse a belli necessaria pertinacia voluit, tamen, quoniam eius consilii princeps ego fuisse videor, plus fortasse tibi praestare ipse debeo quam a te exspectare. Etsi, ut saepe soleo mecum recordari, sermo familiaris meus tecum et item

mecum tuus adduxit utrumque nostrum ad id consilium, ut uno proelio putaremus si non totam causam, at certe nostrum iudicium definiri convenire. Neque quisquam hanc nostram sententiam vere umquam reprehendit praeter eos, qui arbitrantur melius esse deleri omnino rem publicam quam imminutam et debilitatam manere. Ego autem ex interitu eius nullam spem scilicet mihi proponebam, ex reliquiis magnam. 2. Sed ea sunt consecuta, ut magis mirum sit accidere illa potuisse quam nos non vidisse ea futura nec, homines cum essemus, divinare potuisse. Equidem fateor meam coniecturam hanc fuisse, ut, illo quasi quodam fatali proelio facto, et victores communi saluti consuli vellent et victi suae, utrumque autem propositum esse arbitrarer in celeritate victoris. Quae si fuisset, eandem clementiam experta esset Africa quam cognovit Asia, quam etiam Achaia, te, ut opinor, ipso legato ac deprecatore. Amissis autem temporibus, quae plurimum valent, praesertim in bellis civilibus, interpositus annus alios induxit, ut victoriam sperarent, alios, ut ipsum vinci contemnerent. Atque horum malorum omnium culpam fortuna sustinet. Quis enim aut Alexandrini belli tantam moram huic bello adiunctum iri aut nescio quem istum Pharnacem Asiae terrorem illaturum putaret? 3. Nos tamen in consilio pari casu dissimili usi sumus. Tu enim eam partem petiisti, ut et consiliis interesses et, quod maxime curam levat, futura animo prospicere posses. Ego, qui festinavi, ut Caesarem in Italia viderem — sic enim arbitrabamur — eumque, multis honestissimis viris conservatis, redeuntem ad pacem, currentem, ut aiunt, incitarem, ab illo longissime et absum et afui. Versor autem in gemitu Italiae et in urbis miserrimis querelis, quibus aliquid opis fortasse ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisque parte ferre potuisset, si auctor adfuisset. 4. Quare velim pro tua perpetua erga me benevolentia scribas ad me quid videas, quid sentias, quid exspectandum, quid agendum nobis existimes. Magni erunt mihi tuae litterae, atque utinam primis illis, quas Luceria miseris paruissem! sine ulla enim molestia dignitatem meam retinuissem.

## LIBER SEXTUS DECIMUS

### TULLIUS TIRONIS.

#### XV

1. Aegypta ad me venit pridie Idus Apriles. Is etsi mihi nuntiavit, te plane febris carere et belle habere, tamen, quod negavit te potuisse ad me scribere, curam mihi attulit, et eo magis, quod Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat. Incredibili sum sollicitudine de tua valetu-



dine : qua si me liberaris, ego te omni cura liberabo. Plura scriberem, si iam putarem libenter te legere posse. Ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi tibi que conservandum. Cura te etiam atque etiam diligenter. Vale. 2. Scripta iam epistula, Hermia venit. Accepi tuam epistulam, vacillantis litteris : nec mirum tam gravi morbo. Ego ad te Aegyptam misi, quod nec inhumanus est, et te visus est mihi diligere, ut is tecum esset, et cum eo coquum, quo uterere. Vale.

## AD QUINTUM FRATREM

### LIBER PRIMUS

#### III

1. Mi frater, mi frater, mi frater, tunc id veritus es, ne ego iracundia aliqua adductus pueros ad te sine litteris miserim aut etiam ne te videre noluerim? Ego tibi irascerer? tibi ego possem irasci? scilicet, tu enim me afflixisti; tui me inimici, tua me invidia, ac non ego te misere perdidisti. Meus ille laudatus consulatus mihi te, liberos, patriam, fortunas; tibi velim ne quid eripuerit, praeter unum me. Sed certe a te mihi omnia semper honesta et iucunda ceciderunt; a me tibi luctus meae calamitatis, metus tuae, desiderium, maeror, solitudo. Ego te videre noluerim? immo vero me a te videri nolui. Non enim vidisses fratrem tuum; non eum, quem reliqueras; non eum, quem noras; non eum, quem flens flentem, prosequentem proficiscens dimiseras; ne vestigium quidem eius, nec simulacrum, sed quamdam effigiem spirantis mortui. Atque utinam me mortuum prius vidisses, aut audisses! utinam te non solum vitae, sed etiam dignitatis meae superstitem reliquisset. 12. Sed testor omnes deos, me hac una voce a morte esse revocatum, quod omnes in mea vita partem aliquam tuae vitae repositam esse dicebant. Quare peccavi scelerateque feci. Nam si occidissem, mors ipsa meam pietatem amoremque in te facile defenderet. Nunc commisi, ut me vivo careres, vivo me, aliis indigeres; mea vox in domesticis periculis potissimum occideret, quae saepe alienissimis praesidio fuisset.

Nam quod ad te pueri sine litteris venerunt, quoniam vides non fuisse iracundiam causam, certe pigritia fuit, et quaedam infinita vis lacrimarum et dolorum. 3. Haec ipsa me quo fletus putas scripsisse? eodem quo te legere

certo scio. At ego possum aut non cogitare aliquando de te, aut umquam sine lacrimis cogitare? cum enim te desidero, fratrem solum desidero? ego vero suavitate fratrem prope aequalem, obsequio filium, consilio parentem. Quid mihi sine te umquam aut tibi sine me iucundum fuit? quid, quod eodem tempore desidero filiam? qua pietate, qua modestia, quo ingenio! effigiem oris, sermonis, animi mei! quid, filium venustissimum, mihi que dulcissimum? quem ego ferus ac ferreus e complexu dimisi meo, sapientio rem puerum, quam vellem: sentiebat enim miser iam, quid ageretur. Quid vero, tuum filium, imaginem tuam, quem meus Cicero et amabat, ut fratrem, et iam, ut maiorem fratrem, verebatur? quid, quod mulierem miserrimam, fidelissimam coniugem, me prosequi non sum passus, ut esset quae reliquias communis calamitatis, communes liberos tueretur? 4. Sed tamen, quoquo modo potui, scripsi, et dedi literas ad te Philogono, liberto tuo, quas credo tibi postea redditas esse; in quibus idem te hortor et rogo, quod pueri tibi verbis meis nuntiarunt, ut Romam protinus pergas et properes. Primum enim te praesidio esse volui, si qui essent inimici, quorum crudelitas nondum esset nostra calamitate satiata. Deinde congressus nostri lamentationem pertimui; digressum vero non tulissem; atque etiam id ipsum, quod tu scribis, metuebam, ne a me distrahi non posses. His de causis hoc maximum malum, quod te non vidi, quo nihil amantissimis et coniunctissimis fratribus acerbius miseriusve videtur accidere potuisse, minus acerbum, minus miserum fuit, quam fuisset cum congressio, tum vero digressio nostra.

5. Nunc, si potes id, quod ego, qui tibi semper fortis videbar, non possum, erige te et confirma, si qua subeunda dimicatio erit. Spero, si quid mea spes habet auctoritatis, tibi et integritatem tuam, et amorem in te civitatis, et aliquid etiam misericordiam nostri praesidii laturam. Sin eris ab isto periculo vacuus, ages scilicet, si quid agi posse de nobis putabis. De quo scribunt ad me quidem multi multa et se sperare demonstrant; sed ego quod sperem non dispicio, cum inimici plurimum valeant, amici partim deseruerint me, partim etiam prodiderint, qui in meo reditu fortasse reprehensionem sui sceleris pertimescunt. Sed, ista qualia sint, tu velim perspicias mihi que declares. Ego tamen, quamdiu tibi opus erit, si quid periculi subeundum videbis, vivam: diutius in hac vita esse non possum; neque enim tantum virium habet ulla aut prudentia aut doctrina, ut tantum dolorem possit sustinere. 6. Scio fuisse et honestius moriendi tempus et utilius; sed non hoc solum, multa alia praetermisi, quae si queri velim praeterita, nihil agam nisi augeam dolorem tuum, indicem stultitiam meam. Illud quidem nec faciendum est nec fieri potest, me diutius, quam aut tuum tempus aut firma spes postulabit, in tam misera tamque turpi vita commorari, ut, qui modo fratre fuerim, liberis, coniuge, copiis, genere ipso pecuniae beatissimus, dignitate, auctoritate, existimatione, gratia non inferior, quam qui umquam fuerunt amplissimi, is nunc in hac tam adflicta perdita que fortuna neque me neque meos lugere diutius possim.

7. Quare quid ad me scripsisti de permutatione? quasi vero nunc me non tuae facultates sustineant, qua in re ipsa video miser et sentio quid sceleris admiserim, cum de visceribus tuis et filii tui satisfactoris sis, quibus debes, ego acceptam ex aerario pecuniam tuo nomine frustra dissiparim. Sed tamen et M. Antonio, quantum tu scripseras, et Caepioni tantumdem



solutum est. Mihi ad id, quod cogito, hoc, quod habeo, satis est; sive enim restituimur, sive desperamur, nihil amplius opus est.

8. Tu, si forte quid erit molestiae, te ad Crassum et ad Calidium conferas, censeo. Quantum Hortensio credendum sit, nescio. Me summa simulatione amoris, summaque assiduitate cotidiana sceleratissime insidiosissimeque tractavit, adiuncto Q. Arrio, quorum ego consiliis, promissis, praeceptis destitutus, in hanc calamitatem incidi. Sed haec occultabis, ne quid obsint. Illud caveto, — et eo puto, per Pomponium fovendum tibi esse ipsum Hortensium, — ne ille versus, qui in te erat collatus, cum aedilitatem petebas, de lege Aurelia, falso testimonio confirmetur. Nihil enim tam timeo quam ne, cum intellegant homines, quantum misericordiae nobis tuae preces et tua salus adlatura sit, oppugnent te vehementius. 9. Messallam tui studiosum esse arbitror; Pompeium etiam simulatorem puto. Sed haec utinam ne experiare! quod precarer deos, nisi meas preces audire desissent. Verum tamen precor, ut his infinitis nostris malis contenti sint; in quibus (non modo) tamen nullius inest peccati infamia; sed omnis dolor est, quod optime factis poena maxima est constituta. 10. Filiam meam et tuam, Ciceronemque nostrum quid ego, mi frater, tibi commendem? Quin illud maereo, quod tibi non minorem dolorem illorum orbitas afferet quam mihi; sed, te incolumi, orbi non erunt. Reliqua, ita mihi salus aliqua detur potestasque in patria moriendi, ut me lacrimae non sinunt scribere! Etiam Terentiam velim tueare mihique de omnibus rebus rescribas; sis fortis, quoad rei natura patietur. Idibus Iuniis. Thessalonica.

# *T. Lucretius Carus*

(99 — 55 i.e.n.)

## DE RERUM NATURA

### LIBER PRIMUS

#### Invocația

Aeneadam genitrix, hominum divumque voluptas,  
alma Venus, caeli subter labentia signa  
quae mare navigerum, quae terras frugiferentes  
concelebras, per te quoniam genus omne animantum  
concipitur visitque exortum lumina solis :  
te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli  
adventumque tuum, tibi suavis daedala tellus  
summittit flores, tibi rident aequora ponti,  
placatumque nitet diffuso lumine caelum.

5



Nam simul ac species patefactast verna diei, 10  
 et reserata viget genitabilis aura favoni,  
 aerae primum volucres te, diva, tuumque  
 significant initum percussac corda tua vi.  
 Inde ferae, pecudes persultant pabula laeta 15  
 et rapidos tranant amnes : ita capta lepore  
 te sequitur cupide quo quamque inducere pergis.  
 Denique per maria ac montes fluviosque rapaces  
 frondiferasque domos avium camposque virentes,  
 omnibus incutiens blandum per pectora amorem, 20  
 efficis ut cupide generatim saecla propagent.  
 Quae quoniam rerum naturam sola gubernas,  
 nec sine te quicquam dias in luminis oras  
 exoritur, neque fit laetum neque amabile quicquam,  
 te sociam studeo scribendis versibus esse 25  
 quos ego de rerum natura pangere conor.  
 Memmiadae nostro, quem tu, dea, tempore in omni  
 omnibus ornatum voluisti excellere rebus.  
 Quo magis aeternum da dictis, diva, leporem.

### Entuziasmul poetului pentru opera sa

Nunc age quod superest cognosce et clarius audi.  
 Nec me animi fallit quam sint obscura ; sed acri  
 percussit thyrso laudis spes magna meum cor,  
 et simul incussit suavem mi in pectus amorem 925  
 Musarum, quo nunc instinctus mente vigenti  
 avia Pieridum peragro loca nullius ante  
 trita solo. Iuvat integros accedere fontes,  
 atque haurire, iuvatque novos decerpere flores,  
 insignemque meo capiti petere inde coronam,  
 unde prius nulli velarint tempora Musae ; 930  
 primum quod magnis doceo de rebus, et arctis  
 religionum animum nodis exsolvere pergo,  
 deinde quod obscura de re tam lucida pango  
 carmina, musaeo contingens cuncta lepore.  
 Id quoque enim non ab nulla ratione videtur ; 935  
 sed veluti pueris absinthia taetra medentes  
 eum dare conantur, prius oras pocula circum  
 contingunt mellis dulci flavoque liquore,  
 ut puerorum aetas improvida ludificetur  
 laborum tenuis, interea perpetet amarum 940  
 absinthii laticem deceptaque non capiatur,  
 sed potius tali pacto recreata valescat,  
 sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur

tristior esse quibus non est tractata, retroque  
 volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti 945  
 carmine Pierio rationem exponere nostram  
 et quasi musaeo dulci contingere melle,  
 si tibi forte animum tali ratione tenere  
 versibus in nostris possem, dum perspicis omnem  
 naturam rerum qua constet compta figura. 950

## LIBER SECUNDUS

### Elogiul filozofiei

Suave, mari magno turbantibus aequora ventis,  
 e terra magnum alterius spectare laborem;  
 non quia vexari quemquamst iucunda voluptas,  
 sed quibus ipse malis careas quia cernere suave est. 5  
 Suave etiam belli certamina magna tueri  
 per campos instructa tua sine parte pericli.  
 Sed nil dulcius est bene quam munita tenere  
 edita doctrina sapientum templa serena,  
 despiciere unde queas alios passimque videre  
 errare atque viam palantes quaerere vitae, 10  
 certare ingenio, contendere nobilitate,  
 noctes atque dies niti praestante labore  
 ad summas emergere opes rerumque potiri.  
 O miseris hominum mentes, o pectora caeca!  
 Qualibus in tenebris vitae quantisque periclis 15  
 degitur hoc aevi quodcumquest! Nonne videre  
 nil aliud sibi naturam latrare, nisi utqui  
 corpore seiunctus dolor absit, mensque fruatur  
 iucundo sensu cura semota metuque?

## LIBER TERTIUS

### Elogiul lui Epicur

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen  
 qui primus potuisti illustrans commoda vitae,  
 te sequor, o Graiae gentis decus, inque tuis nunc  
 ficta pedum pono pressis vestigia signis,  
 non ita certandi cupidus quam propter amorem 5  
 quod te imitari aveo; quid enim contendat hirundo



cycnis aut quidnam tremulis facere artibus haedi consimile in cursu possint et fortis equi vis? Tu, pater, es rerum inventor, tu patria nobis suppeditas praecepta, tuisque ex, inclute, chartis floriferis ut apes in saltibus omnia libant,	10
omnia nos itidem depascimur aurea dicta, aurea, perpetua semper dignissima vita. Nam simul ac ratio tua coepit vociferari naturam rerum, divina mente coortam,	15
diffugiunt animi terrores, moenia mundi discedunt, totam video per inane geri res. Apparet divum numen sedesque quietae quas neque concutiunt venti, nec nubila nimbis aspergunt, neque nix acri concreta pruina	20
cana cadens violat, semperque innubilis aether integit, et large diffuso lumine rident. Omnia subpeditat porro natura neque ulla res animi pacem delibat tempore in ullo.	25
At contra nusquam apparent Acherusia templa nec tellus obstat quin omnia dispiciantur, sub pedibus quaecumque infra per inane geruntur. His ibi me rebus quaedam divina voluptas percipit atque horror, quod sic natura tua vi tam manifesta patens ex omni parte resecta est.	30

### Miturile sînt simple alegorii

Atque ea nimirum quaecumque Acherunte profundo proditata sunt esse, in vita sunt omnia nobis.	980
Nec miser impendens magnum timet aere saxum Tantalus, ut famast, cassa formidine torpens; sed magis in vita divom metus urgent inanis mortales casumque timent quem cuique ferat fors.	985
Nec Tityon volucres ineunt Acherunte iacentem, nec quod sub magno scrutentur pectore quicquam perpetuam aetatem possunt reperire profecto: quamlibet immani proiectu corporis extet, qui non sola nomen dispensis iugera membris optineat, sed qui terrai totius orbem, non tamen aeternum poterit perferre dolorem,	990
nec praebere cibum proprio de corpore semper. Sed Tityos nobis hic est, in amore iacentem quem volucres lacerant atque exest anxius angor, aut alia quavis scindunt cuppedine curae. Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est qui petere a populo fascas saevasque secures	995

imbibit, et semper victus tristique recedit.  
 Nam petere imperium quod inanest nec datur umquam,  
 atque in co semper durum sufferre laborem, 1000  
 hoc est adverso nixantem trudere monte  
 saxum quod tamen (e) summo iam vertice rursum  
 volvitur, et plani raptim petit aequora campi.  
 Deinde animi ingratam naturam pascere semper  
 atque explere bonis rebus satiareque numquam,  
 quod faciunt nobis annorum tempora, circum 1005  
 cum redeunt fetusque ferunt variosque lepores,  
 nec tamen explemur vitai fructibus umquam,  
 hoc, ut opinior, id est, aevo florente puellas  
 quod memorant laticem pertusum congere in vas,  
 quod tamen expleri nulla ratione potestur. 1010  
 Sed metus in vita poenarum pro male factis  
 est insignibus insignis, scelerique luela, 1015  
 carcer et horribilis de saxo iactu'deorsum,  
 verbera carnifices robur pix lammina taedae;  
 quae tamen etsi absunt, at mens sibi conscia facti  
 praemetuens adhibet stimulos torretque flagellis,  
 nec videt interea qui terminus esse malorum 1020  
 possit, nec quae sit poenarum denique finis,  
 atque eadem metuit magis haec ne in morte gravescant.  
 Hic Acherusia fit stultorum denique vita.

## LIBER QUINTUS

### Viața primilor oameni

At genus humanus multo fuit illud in arvis 925  
 durius, ut decuit, tellus quod dura creasset,  
 et maioribus et solidis magis ossibus intus  
 fundatum, validis aptum per viscera nervis,  
 nec facile ex aestu nec frigore quod caperetur  
 nec novitate cibi nec labe corporis ulla. 930  
 Multaque per caelum solis volventia lustra  
 volgivago vitam tractabant more ferarum.  
 Nec robustus erat curvi moderator aratri  
 quisquam, nec scibat ferro molirier arva  
 nec nova defodere in terram virgulta, neque altis 935  
 arboribus veteres decidere falcibu' ramos.  
 Quod sol atque imbres dederant, quod terra creatar  
 sponte sua, satis placabat pectora donum.  
 Glandiferas inter curabant corpora quercus



plerumque; et quae nunc hiberno tempore cernis arbuta puniceo fieri matura colore, plurima tum tellus etiam maiora ferebat. Multaque praeterea novitas tum florida mundi pabula dura tulit, miseris mortalibus ampla.	940
At sedare sitim fluvii fontesque vocabant, ut nunc montibus e magnis decursus aquai claru' citat late sitientia saecla ferarum. Denique nota vagi silvestria templa tenebant nympharum, quibus e scibant umori' fluenta lubrica proluvie larga lavere umida saxa, umida saxa, super viridi stillantia musco, et partim plano scatere atque erumpere campo. Necdum res igni scibant tractare, neque uti pellibus et spoliis corpus vestire ferarum, sed nemora atque cavos montes silvasque colebant, et frutices inter condebant squalida membra verbera ventorum vitare imbrisque coacti. Nec commune bonum poterant spectare, neque ullis moribus inter se scibant nec legibus uti. Quod cuique obtulerat praedae fortuna, ferebat sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus. Et manuum mira freti virtute pedumque consectabantur silvestria saecla ferarum missilibus saxis et magno pondere clavae; multaque vincebant, vitabant pauca latebris; saetigerisque pares subus silvestria membra nuda dabant terrae nocturno tempore capti, circum se foliis ac frondibus involventes. Nec plangore diem magno solemque per agros quaerebant pavidi palantes noctis in umbris, sed taciti respectabant somnoque sepulti, dum rosea face sol inferret lumina caelo: a parvis quod enim consuerant cernere semper alterno tenebras et lucem tempore gigni, non erat ut fieri posset mirarier umquam, nec diffidere ne terras aeterna teneret nox in perpetuum detracto lumine solis. Sed magis illud erat curae quod saecla ferarum infestam miseris faciebant saepe quietem; iectique domo fugiebant saxea tecta spumigeri suis adventu validique leonis, atque intempesta cedebant nocte paventes hospitibus saevis instrata cubilia fronde. Nec nimio tum plus quam nunc mortalia saecla dulcia linquebant lamentis lumina vitae. Unus enim tum quisque magis deprensus eorum pabula viva feris praebebat, dentibus haustus,	945 950 955 960 970 975 980 985 990

- et nemora ac montes gemitu silvasque replebat  
viva videns vivo sepeliri viscera busto.
- At quos effugium servarat corpore adeso,  
posterius tremulas super ulcera taetra tenentes 995  
palmas horrifeis accibant vocibus Orcum,  
donique eos vita privarant vermina saeva  
expertis opis, ignaros quid volnera vellent.
- At non multa virum sub signis milia ducta  
una dies dabat exitio, nec turbida ponti 1000  
aequora laedebant naves ad saxa virosque.  
Hic temere incassum frustra mare saepe coortum  
saevebat, leviterque minas ponebat inanes,  
nec poterat quemquam placidi pellacia ponti  
subdola pellicere in fraudem ridentibus undis. 1005
- Improba navigii ratio tum caeca iacebat.  
Tum penuria deinde cibi languentia leto  
membra dabat, contra nunc rerum copia mersat.
- Illi imprudentes ipsi sibi saepe venenum  
vergebant, nunc dant aliis sollertius ipsi. 1010
- Tunc et amicitiam coeperunt iungere aventes  
finitimi inter se nec laedere nec violari, 1020  
et pueros commendarunt muliebrequae saeculum,  
vocibus et gestu cum balbe significarent  
imbecillorum esse aequum miserier omnis.
- Nec tamen omnimodis poterat concordia gigni,  
sed bona magnaue pars servabant foedera caste; 1025  
aut genus humanum iam tum foret omne peremptum,  
nec potuisset adhuc perducere saecla propago.
- At varios linguae sonitus natura subegit  
mittere et utilitas expressit nomina rerum,  
non alia longe ratione atque ipsa videtur 1030  
protrahere ad gestum pueros infantia linguae,  
cum facit ut digito quae sint praesentia monstrent.
- Sentit enim vis quisque suas quoad possit abuti.  
Cornua nata prius vitulo quam frontibus extent,  
illis iratus petit atque infestus inurget. 1035
- At catuli pantherarum scymique leonum  
unguibus ac pedibus iam tum morsuque repugnant,  
vix etiam cum sunt dentes unguisque creati.
- Alituum porro genus alis omne videmus  
fidere, et a pinnis tremulum petere auxiliatum. 1040
- Proinde putare aliquem tum nomina distribuisset  
rebus et inde homines didicisse vocabula prima,  
desiperest. Nam cur hic posset cuncta notare  
vocibus et varios sonitus emittere linguae,  
tempore eodem alii facere id non quisse putentur? 1045
- Praeterea si non alii quoque vocibus usi  
inter se fuerant, unde insita notities est



utilitatis et unde data est huic prima potestas,  
 quid vellet facere ut sciret animoque videret?  
 Cogere item pluris unus victosque domare 1050  
 non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent.  
 Nec ratione docere ulla suadereque surdis,  
 quid sit opus facto, facilest; neque enim paterentur,  
 nec ratione ulla sibi ferrent amplius auris  
 vocis inauditos sonitus obtundere frustra. 1055  
 Postremo quid in hac mirabile tantoperest re,  
 si genus humanum, cui vox et lingua vigeret,  
 pro vario sensu varia res voce notaret?  
 cum pecudes mutae, cum denique saecla ferarum  
 dissimiles soleant voces variasque ciere, 1060  
 cum metus aut dolor est, et cum iam gaudia gliscunt.  
 Quippe etenim licet id rebus cognoscere apertis.  
 Inritata canum cum primum magna Molossum  
 mollia ricta fremunt duros nudantia dentes,  
 longe alio sonitu rabie restricta minantur, 1065  
 et cum iam latrant et vocibus omnia complent.  
 At catulos blande cum lingua lambere temptant,  
 aut ubi eos iactant pedibus, morsuque petentes  
 suspensis teneros imitantur dentibus haustus,  
 longe alio pacto gannitu vocis adulant, 1070  
 et cum deserti baubantur in aedibus, aut cum  
 plorantes fugiunt summisso corpore plagas.  
 Postremo genus alituum variaequae volucres,  
 accipitres atque ossifragae mergique marinis  
 fluctibus in salso victum vitamque petentes, 1080  
 longe alias alio iaciunt in tempore voces,  
 et quom de victu certant praedaeque repugnant.  
 Et partim mutant cum tempestatibus una  
 raucisonos cantus, cornicum ut saecla vetusta  
 corvorumque greges ubi aquam dicuntur et imbres 1085  
 poscere, et interdum ventos aurasque vocare.  
 Ergo si varii sensus animalia cogunt,  
 muta tamen cum sint, varias emittere voces,  
 quanto mortales magis aequumst tum potuisse  
 dissimiles alia atque alia res voce notare! 1090  
 Illud in his rebus tacitus ne forte requiras,  
 fulmen detulit in terram mortalibus ignem  
 primitus, inde omnis flammaram diditur ardor.  
 Multa videmus enim caelestibus inlita flammis  
 fulgere, cum caeli donavit plaga vapore. 1095  
 Et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans  
 aestuat in ramos incumbens arboris arbor,  
 exprimitur validis extritus viribus ignis,  
 et micat interdum flammai fervidus ardor, 1100  
 mutua dum inter se rami stirpesque teruntur.

Quorum utrumque dedisse potest mortalibus ignem.  
 Inde cibum coquere ac flammae mollire vapore  
 sol docuit, quoniam mitescere multa videbant  
 verberibus radiorum atque aestu victa per agros.  
 Inque dies magis hi victum vitamque priorem 1105  
 commutare novis monstrabant rebus et igni,  
 ingenio qui praestabant et corde vigeant.  
 Condere coeperunt urbes arcemque locare  
 praesidium reges ipsi sibi perfugiumque,  
 et pecus atque agros divisere atque dedere 1110  
 pro facie cuiusque et viribus ingenioque;  
 nam facies multum valuit viresque vigeant.  
 Posterius res inventast aurumque repertum,  
 quod facile et validis et pulchris dempsit honorem;  
 divitioris enim sectam plerumque sequuntur 1115  
 quam lubet et fortes et pulchro corpore creti.  
 Quod si quis vera vitam ratione gubernet,  
 divitiae grandes homini sunt vivere parce  
 aequo animo; neque enim est umquam penuria parvi.

### Originea muzicii

At liquidas avium voces imitarier ore  
 ante fuit multo quam levia carmina cantu  
 concelebrare homines possent aurisque iuvare. 1380  
 Et zephyri, cava per calamorum, sibila primum  
 agrestes docuere cavas inflare cicutas.  
 Inde minutatim dulces didicere querelas,  
 tibia quas fundit digitis pulsata canentum, 1385  
 avia per nemora ac silvas saltusque reperta,  
 per loca pastorum deserta atque otia dia.  
 Sic unumquidquid paulatim protrahit aetas  
 in medium, ratioque in luminis erigit oras.  
 Haec animos ollis mulcebant atque iuvabant 1390  
 cum satiate cibi; nam tum sunt omnia cordi.  
 Saepe itaque inter se prostrati in gramine molli,  
 propter aquae rivom, sub ramis arboris altae,  
 non magnis opibus iucunde corpora habebant.  
 praesertim cum tempestas ridebat et anni 1395  
 tempora pingebant viridantes floribus herbas.  
 Tum ioca, tum sermo, tum dulces esse cachinni  
 consuerant. Agrestis enim tum Musa vigebat;  
 tum caput atque umeros plexis redimire coronis  
 floribus et foliis lascivia laeta monebat, 1400  
 atque extra numerum procedere membra moventes  
 duriter et duro terram pede pellere matrem;  
 unde oriebantur risus dulcesque cachinni,



omnia quod nova tum magis haec et mira vigebant.  
Et vigilantibus hinc aderant solacia somno, 1405  
ducere multimodis voces et flectere cantus  
et supera calamos unco percurrere labro ;  
unde etiam vigiles nunc haec accepta tuentur  
et numerum servare genus didicere, neque hilo  
maiolem interea capiunt dulcedini' fructum 1410  
quam silvestre genus capiebat terrigenarum.

# *C. Valerius Catullus*

cca 87 — 54 i.e.n.

## CARMINA

### III

#### **Luctus in morte passeris**

Lugete, o Veneres Cupidinesque,  
Et quantum est hominum venustiorum.  
Passer mortuus est meae puellae,  
Passer deliciæ meae puellae,  
Quem plus illa oculis suis amabat :  
Nam mellitus erat suamque norat  
Ipsam tam bene quam puella matrem,  
Nec sese a gremio illius movebat,

3



Sed circumsiliens modo huc modo illuc  
 Ad solam dominam usque pipiabat. 10  
 Qui nunc it per iter tenebricosm  
 Illuc, unde negant redire quemquam.  
 At vobis male sit, malae tenebrae  
 Orci, quae omnia bella devoratis;  
 Tam bellum mihi passerem abstulistis. 15  
 O factum male! o miselle passer!  
 Tua nunc opera meae puellae  
 Flendo turgidoli rubent ocelli.

## V.

## Ad Lesbiam

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,  
 Rumoresque senum severiorum  
 Omnes unius aestimemus assis.  
 Soles occidere et redire possunt;  
 Nobis cum semel occidit brevis lux, 5  
 Nox est perpetua una dormienda.  
 Da mi basia mille, deinde centum,  
 Dein mille altera, dein secunda centum,  
 Deinde usque altera mille, deinde centum.  
 Dein, cum milia multa fecerimus, 10  
 Conturbabimus illa, ne sciamus,  
 Aut nequis malus invidere possit,  
 Cum tantum sciat esse basiorum.

## VIII.

## Ad se ipsum

Miser Catulle, desinas ineptire,  
 Et quod vides perisse perditum ducas.  
 Fulsero quondam candidi tibi soles,  
 Cum ventitabas quo puella ducebat  
 Amata nobis quantum amabitur nulla. 5  
 Ibi illa multa tum iocosa fiebant,  
 Quae tu volebas nec puella nolebat.  
 Fulsero vere candidi tibi soles.

Nunc iam illa non volt ; tu quoque, inpotens, noli,  
 Nec quae fugit sectare, nec miser vive,  
 Sed obstinata mente perfer, obdura. 10  
 Vale, puella. Iam Catullus obdurat,  
 Nec te requiret nec rogabit invitam ;  
 At tu dolcibus, cum rogaberis nulla.  
 Scelestas, vae te ! quae tibi manet vita ! 15  
 Quis nunc te adibit ? cui videberis bella ?  
 Quem nunc amabis ? cuius esse diceris ?  
 At tu, Catulle, destinatus obdura.

## XXXI.

**Ad Sirmionem paeninsulam**

Paene insularum, Sirmio, insularumque  
 Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis  
 Marique vasto fert uterque Neptunus,  
 Quam te libenter quamque laetus in viso,  
 Vix mi ipse credens Thuniam atque Bithunos 5  
 Liquisse campos et videre te in tuto.  
 O quid solutis est beatius curis,  
 Cum mens onus reponit ac peregrino  
 Labore fessi venimus larem ad nostrum  
 Desideratoque acquiescimus lecto ? 10  
 Hoc est quod unum est pro laboribus tantis.  
 Salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude ;  
 Gaudete vosque, o Lydiae lacus undae ;  
 Ridete, quicquid est domi cachinnorum.

## XLIX

**Ad M. T. Ciceronem**

Disertissime Romuli nepotum,  
 Quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,  
 Quotque post alii erunt in annis,  
 Gratias tibi maximas Catullus  
 Agit pessimus omnium poeta,  
 Tanto pessimus omnium poeta  
 Quanto tu optimus omnium patronus.



## II

## Ad Lesbiam

Ille mi par esse deo videtur,  
 Ille, si fas est, superare divos,  
 Qui sedens adversus identidem te  
 Spectat et audit

Dulce ridentem, misero quod omnis 5  
 Eripit sensus mihi; nam simul te,  
 Lesbia, aspexi, nihil est super mi  
 Vocis in ore,

Lingua sed torpet, tenuis sub artus  
 Flamma demanat, sonitu suopte 10  
 Tintinant aures, gemina teguntur  
 Lumina nocte.

Otium, Catulle, tibi molestum est;  
 Otio exultas nimiumque gestis.  
 Otium et reges prius et beatas 15  
 Perdidit urbes.

## LXXXIV

## De Arrio

- Chommoda dicebat, si quando commoda vellet  
 Dicere, et insidias Arrius hinsidias,  
 (9) Et tum mirifice sperabat se esse locutum,  
 (10) Cum quantum poterat dixerat hinsidias. 5  
 Credo, sic mater, sic liber avunculus eius,  
 (3) Sic maternus avus dixerat atque avia.  
 (5) Hoc misso in Syriam requierant omnibus aures;  
 Audibant eadem haec leniter et leviter,  
 Nec sibi postilla metuebant talia verba,  
 Cum subito affertur nuntius horribilis, 10  
 Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,  
 Iam non Ionios esse, sed Hionios.

## LXXXV.

## De amore suo

Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris.  
 Nescio, sed fieri sentio et excrucior.

## XCIII

## In Caesarem

Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere,  
Nec scire utrum sis albus an ater homo.

## CI

## Inferiae ad fratris tumulum

Multas per gentes et multa per aequora vectus  
Advenio has miseris, frater, ad inferias,  
Ut te postremo donarem munere mortis  
Et mutam nequiquam alloquerer cinerem,  
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum, 5  
Heu miser indigne frater adempte mihi.  
Nunc tamen interea haec prisco quae more parentum  
Tradita sunt tristi munere ad inferias,  
Accipe fraterno multum manantia fletu.  
Atque in perpetuum, frater, ave atque vale. 10

## CVII

## Ad Lesbiam

Si quicquam cupido optantique obtigit umquam  
Insperanti, hoc est gratum animo proprie.  
Quare hoc est gratum nobis quoque, carius auro,  
Quod te restituis, Lesbia, mi cupido,  
Restituis cupido atque insperanti, ipsa refers te 5  
Nobis. O lucem candidiore nota!  
Quis me uno vivit felicius, aut magis hac res  
Optandas vita dicere quis poterit?



*C. Sallustius Crispus*

(87—35 i.e.n.)

## DE CONIURATIONE CATILINAE

**Originea Romei.**

**Istoricul moravurilor romane**

VI. 1 Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani; qui Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur, cumque eis Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. 2. Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alii alio more viventes, incredibile memoratu est quam facile coaluerint. 3. Sed postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. 4. Igitur reges populi que finitimi bello tentare, pauci ex amicis auxilio esse; nam ceteri metu perculsi a periculis aberant. 5. At Romani domi militiaeque intenti festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam parentisque armis tegere.

Post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant, magisque dandis, quam accipiendis beneficiis amicitias parabant. 6. Imperium legitimum, nomen imperii regium habebant; delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, rei publicae consultabant; ei vel aetate vel curae similitudine patres appellabantur. Post, ubi regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae rei publicae fuerat, in superbiam dominationemque se convortit, immutato more annua imperia binosque imperatores sibi facere; eo modo minime posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

VII. 1. Sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere magisque ingenium in promptu habere. 2. Nam regibus boni quam mali suspiciores sunt semperque eis aliena virtus formidulosa est. 3. Sed civitas incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum brevi creverit; tanta cupido gloriae inceserat. 4. Iam primum iuventus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat. 5. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidulosus; virtus omnia domuerat. 6. Sed gloriae maximum certamen inter ipsos erat: se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici dum tale facinus faceret, properabat; eas divitias, cam bonam famam magnamque nobilitatem putabant: laudis avidi, pecuniae liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant. 7. Memorare possem quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbis natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.

VIII. 1. Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubricitate magis quam ex vero celebrat obscuraque. 2. Atheniensium res gestae, sicuti ego aestumo, satis amplae magnificaeque fuere, verum aliquanto minores tamen quam fama feruntur. 3. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur. 4. Ita eorum qui fecere virtus tanta habetur, quantum eam verbis potuere extollere praeclara ingenia. 5. At populo Romano numquam ea copia fuit, quia prudentissimus quisque maxime negotiosus erat; ingenium nemo sine corpore exercebat; optimum quisque facere, quam dicere, sua ab aliis bene facta laudari quam ipse aliorum narrare malebat.

IX. 1. Igitur domi militiaeque boni mores colebantur, concordia maxuma, minuma avaritia erat; ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. 2. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant; in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. 3. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat aequitate, seque remque publicam curabant. 4. Quorum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod in bello saepius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant quique tardius revocati proelio excesserant, quam qui signa relinquere aut pulsi loco cedere ausi erant; 5. in pace vero, quod beneficiis magis quam metu imperium agitabant et accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant.



**X.** 1. Sed ubi labore atque iustitia publica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant. saevire fortuna ac miscere omnia coepit. 2. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, eis otium, divitiae, optanda alias, oneri miseriaeque fuere. 3. Igitur primo pecuniae, deinde imperi cupido crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere. 4. Namque avaritia fidem, probitatem ceterasque artis bonas subvertit: pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. 5. Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare magisque voltum quam ingenium bonum habere. 6. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari; post ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas immutata, imperium ex iustissimo atque optumo crudele intolerandumque factum.

**XI.** 1. Sed primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat, quod tamen vitium propius virtutem erat. 2. Nam gloriam, honorem, imperium bonus et ignavos aequae sibi exoptant; sed ille vera via nititur, huic quia bonae artes desunt dolis atque fallaciis contendit. 3. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit; ea quasi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effeminat; semper infinita, insatiabilis est; neque copia, neque inopia minuitur. 4. Sed postquam L. Sulla, armis recepta re publica, bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere, neque modum neque modestiam victores habere, foeda crudeliaque in civis facinore facere. 5. Huc accedebat quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem maiorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat. Loca amoena voluptaria facile in otio ferocis militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, ea privatim et publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. 7. Igitur ei milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis facere. Quippe secundae res sapientium animos fatigant, ne illi corruptis moribus victoriae temperarent.

**XII.** 1. Postquam divitiae honori esse coepere et eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci coepit. 2. Igitur ex divitiis iuventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere; rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere. 3. Operae pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum quae nostri maiores, religiosissimi mortales, fecere. 4. Verum illi delubra deorum pietate, domos sua gloria decorabant, neque victis quicquam praeter iniuriae licentiam eripiebant. 5. At hi contra ignavissimi homines per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortissimi viri victores reliquerant; proinde quasi iniuriam facere id demum esset imperio uti.

### Moartea lui Catilina

**LX.** Sed ubi, omnibus rebus exploratis, Petreius tuba signum dat, cohortis paulatim incedere iubet; idem facit hostium exercitus. 2. Postquam eo ventum est, unde a ferentariis proelium committi posset, maxime clamore cum infestis signis concurrunt; pila omittunt, gladiis res geritur. 3. Veterani, pristinae virtutis memores, cominus acriter instare; illi haud timidi resistunt; maxuma vi certatur. 4. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis arcessere, omnia providere, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire, strenui militis et boni imperatoris officia simul exequabatur. 5. Petreius, ubi videt Catilinam contra ac ratus erat magna vi tendere, cohortem praetoriam in medios hostis inducit eosque perturbatos atque alios alibi resistentis interficit; deinde utrimque ex lateribus ceteros aggreditur. 6. Manlius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt. 7. Catilina postquam fusas copias seque cum paucis relictum videt, memor generis atque pristinae suae dignitatis, in confertissimos hostis incurrit ibique pugnans confoditur.

**LXI.** 1. Sed confecto proelio, tum vero cerneretis quanta audacia quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinae. 2. Nam fere quem quisque vivos pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat. 3. Pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat, paulo divorsius, sed omnes tamen advorsis vulneribus conciderant. 4. Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paululum etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat vivos, in voltu retinens. 5. Postremo ex omni copia neque in proelio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus est; 6. ita cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant. 7. Neque tamen exercitus populi Romani lactam aut incruentam victoriam adeptus erat; nam strenuissimus quisque aut occiderat in proelio aut graviter vulneratus discesserat. 8. Multi autem, qui e castris visundi aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem aut cognatum reperiebant; fuere item qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum laetitia, maeror, luctus atque gaudia agitabantur.



*P. Vergilius Maro*

(70—19 i.e.n.)

**GEORGICA**

**LIBER SECUNDUS**

**Elogiul Italiei**

Sed neque Medorum, silvae ditissima, terra,  
Nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus  
Laudibus Italiae certent, non Bactra, neque Indi  
Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis.  
Haec loca non tauri spirantes naribus ignem  
Invertere satis immanis dentibus hydri,  
Nec galeis densisque virum seges horruit hastis;  
Sed gravidae fruges et Bacchi Massicus humor  
Implevere; tenent oleae armentaue lacta.

140

Hinc bellator equus campo sese arduus infert ;	145
Hinc albi, Clitumne, greges et maxima taurus	
Victima, saepe tuo perfusi flumine sacro,	
Romanos ad templa deum duxere triumphos.	
Hic ver assiduum atque alienis mensibus aestas,	
Bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos.	150
At rabidae tigres absunt et saeva leonum	
Semina ; nec miseros fallunt aconita legentes ;	
Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto	
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.	
Adde tot egregias urbes operumque laborem,	155
Tot congesta manu praeruptis oppida saxis,	
Fluminaque antiquos subterlabentia muros.	
An mare, quod supra, memorem, quodque alluit infra ?	
Anne lacus tantos ? te, Lari maxime, teque,	
Fluctibus et fremitu assurgens Benace marino ?	160
An memorem portus Lucrinoque addita claustra,	
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,	
Iulia qua ponto longe sonat unda refuso,	
Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernus ?	
Haec cadem argenti rivos aerisque metalla	165
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.	
Haec genus acre virum, Marsos pubemque Sabellam,	
Adsuetumque malo Ligurem, Volcosque verutos,	
Extulit ; haec Decios, Marios magnosque Camillos,	
Scipiadas duos bello, et te, maxime Caesar,	170
Qui nunc extremis Asiae iam victor in oris	
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.	
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,	
Magna virum : tibi res antiquae laudis et artis	
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes,	175
Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.	

### Elogiul vieții la țară

O fortunatos nimium, sua si bona norint,	
Agricolae, quibus ipsa procul discordibus armis,	
Fundit humo facilem victum iustissima tellus !	460
Si non ingentem foribus domus alta superbis	
Mane salutantum totis vomit aedibus undam,	
Nec varios inhiant pulchra testudine postes	
Illusasque auro vestes Ephyreiaque aera,	
Alba neque Assyrio fucatur lana veneno,	465
Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi ;	
At secura quies et nescia fallere vita,	
Dives opum variarum, at latis otia fundis,	



Speluncae vivique lacus, at frigida Tempe	
Mugitusque boum mollesque sub arbore somni	470
Non absunt. Illic saltus ac lustra ferarum,	
Et patiens operum parvoque adsueta iuventus,	
Sacra deum, sanctique patres; extrema per illos	
Lustitia excedens terris vestigia fecit.	
Me vero primum dulces ante omnia Musae,	475
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,	
Accipiant, caelique vias et sidera monstrent,	
Defectus solis varios lunaeque labores,	
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant	
Obiicibus ruptis rursusque in se ipsa resident,	480
Quid tantum Oceano properent se tingere soles	
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.	
Sin, has ne possim naturae accedere partes,	
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis;	
Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes,	485
Flumina amem silvasque inglorius. O, ubi campi,	
Spercheosque et virginibus bacchata Lacaenis	
Taygeta! o, qui me gelidis in vallibus Haemi	
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!	
Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,	490
Atque metus omnes et inexorabile fatum	
Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari!	
Fortunatus et ille, deos qui novit agrestes,	
Panaque Silvanumque senem Nymphasque sorores!	
Illum non populi fascēs, non purpura regum	495
Flexit et infidos agitans discordia fratres,	
Aut coniurato descendens Dacus ab Istro,	
Non res Romanae perituraque regna; neque ille	
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.	
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura	500
Sponte tulere sua, carpsit, nec ferrea iura	
Insanumque forum aut populi tabularia vidit.	
Sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque	
Hic petit excidiis urbem miserisque Penates,	505
Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro;	
Condit opes alius, defossoque incubat auro;	
Hic stupet attonitus rostris; hunc plausus hiantem	
Per cuneos—geminatus enim, plebisque patrumque	
Corripuit; gaudent perfusi sanguine fratrum,	510
Exsilioque domos et dulcia limina mutant,	
Atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.	
Agricola incurvo terram dimovit aratro:	
Hinc anni labor, hinc patriam parvosque nepotes	
Sustinet, hinc armenta boum meritosque iuencos.	515

- Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,  
 Aut fetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,  
 Proventuque oneret sulcos atque horrea vincat.  
 Venit hiems: teritur Sicyonia bacca trapetis,  
 Glande sues laeti redeunt, dant arbuta silvae, 520  
 At varios ponit fetus autumnus, et alte  
 Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.  
 Interea dulces pendent circum oscula nati,  
 Casta pudicitiam servat domus, ubera vaccae  
 Lactea demittunt, pinguesque in gramine laeto 525  
 Inter se adversis luctantur cornibus haedi;  
 Ipse dies agitat festos, fususque per herbam,  
 Ignis ubi in medio et socii cratera coronant,  
 Te, libans, Lenaeae, vocat, pecorisque magistris  
 Velocis iaculi certamina ponit in ulmo, 530  
 Corporaque agresti nudant praedura palaestrae.  
 Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,  
 Hanc Remus et frater; sic fortis Etruria crevit  
 Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,  
 Septemque una sibi muro circumdedit arces. 535  
 Ante etiam sceptrum Dictaei regis, et ante  
 Impia quam caesis gens est epulata iuvenis,  
 Aureum hanc vitam in terris Saturnus agebat;  
 Necdum etiam audierant inflari classica, necdum  
 Impositos duris crepitare incudibus enses. 540  
 Sed nos immensum spatiis confecimus aequor,  
 Et iam tempus equum spumantia solvere colla.

## LIBER QUARTUS

### Pastor Aristaeus

- Pastor Aristaeus fugiens Peneia Tempe,  
 Amissis ut fama, apibus morboque fameque,  
 Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis,  
 Multa querens atque hac affatus voce parentem: 320  
 „Mater, Cyrene mater, quae gurgitis huius  
 „Ima tenes, quid me praeclara stirpe deorum  
 „Si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo,  
 „Invisum fatis genuisti aut quo tibi nostri  
 „Pulsus amor? quid me coelum sperare iubebas? 325



„En etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem,  
 „Quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers  
 „Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo,  
 „Quin age, et ipsa manu felices erue silvas,  
 „Fer stabulis inimicum ignem atque interfice messes, 330  
 „Ure sata et validam in vites molire bipennem;  
 „Tanta meae si te ceperunt taedia laudis.“  
 At mater sonitum thalamo sub fluminis alti  
 Sensit. Eam circum Milesia vellera Nymphae  
 Carpebant, hyali saturo fucata colore, 335  
 Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,  
 Caesariem effusae nitidam per candida colla,  
 Nesaeae, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,  
 Cydippeque et flava Lycorias, altera virgo, 340  
 Altera tum primos Lucinae experta labores,  
 Clioque et Beroë soror, Oceanitides ambae,  
 Ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae,  
 Atque Ephyre, atque Opis, atque Asia Deiopea,  
 Et tandem positis velox Arethusa sagittis.  
 Inter quas curam Clymene narrabat inanem 345  
 Vulcani, Martisque dolos et dulcia furta,  
 Aque Chao densos divum numerabat amores.  
 Carmine quo captae dum fuis mollia pensa  
 Devolvunt, iterum maternas impulit aures  
 Luctus Aristaei, vitreisque sedilibus omnes 350  
 Obstupere; sed ante alias Arethusa sorores  
 Prospiciens summa flavum caput extulit unda,  
 Et procul: „O gemitu non frustra exterrita tanto  
 „Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura,  
 „Tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam 355  
 „Stat lacrimans et te crudelem nomine dicit.“  
 Huic percussa nova mentem formidine mater  
 „Duc, age, duc ad nos: fas illi limina divum  
 „Tangere!“ ait; simul alta iubet discedere late  
 Flumina, qua iuvenis gressus inferret. At illum 360  
 Curvata in montis faciem circumstetit unda,  
 Accepitque sinu vasto misitque sub amnem.  
 Iamque domum mirans genetricis et humida regna  
 Speluncisque lacus clausos lucosque sonantes,  
 Ibat et, ingenti motu stupefactus aquarum, 365  
 Omnia sub magna labentia flumina terra  
 Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque  
 Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus,  
 Unde pater Tiberinus et unde Aniena fluente,  
 Saxosusque sonans Hypanis, Mysusque Caicus, 370  
 Et gemina auratus taurino cornua vultu  
 Eridanus, quo non alius per pingua culta  
 In mare purpureum violentior effluit amnis.

Postquam est in thalami pendentia pumice tecta	
Perventum et nati fletus cognovit inanes	375
Cyrene: manibus liquidos dant ordine fontes	
Germanae, tonsisque ferunt mantelia villis;	
Pars epulis onerant mensas et plena reponunt	
Pocula, Panchaeis adolescentunt ignibus arae;	
Et mater „Cape Maeonii carchesia Bacchi:	380
Oceano libemus!“ ait. Simul ipsa precatur	
Oceanumque patrem rerum, Nymphasque sorores,	
Centum quae silvas, centum quae flumina servant.	
Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam,	
Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit;	385
Omne quo firmans animum, sic incipit ipsa:	
„Est in Carpathio Neptuni gurgite vates,	
„Caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor	
„Et iuncto bipedum curru metitur equorum.	
„Hic nunc Emathiae portus patriamque revisit	390
„Pallenen; hunc et Nymphae veneramur, et ipse	
„Grandaevus Nereus: novit namque omnia vates,	
„Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.	
„Quippe ita Neptuno visum est, immania cuius	
„Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas.	395
„Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem	
„Expediat morbi causam, eventusque secundet;	
„Nam sine vi non ulla dabit praecepta, neque illum	
„Orando flectes: vim duram et vincula capto	
„Tende; doli circum haec demum frangentur inanes.	400
„Ipsa ego te, medios quum sol accenderit aestus,	
„Quum sitiunt herbae et pecori iam gratior umbra est,	
„In secreta senis ducam, quo fessus ad undis	
„Se recipit, facile ut somno aggrediare iacentem.	
„Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis,	405
„Tum variae eludent species atque ora ferarum:	
„Fiet enim subito sus horridus atraque tigris	
„Squamosusque draco et fulva cervice leaena,	
„Aut acrem flammae sonitum dabit atque ita vinclis	
„Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.	410
„Sed quanto ille magis formas se vertet in omnes,	
„Tanto, nate, magis contendere tenacia vincla,	
„Donec talis erit mutato corpore, qualem	
„Videris, incepto tegeter quum lumina somno“.	
Haec ait, et liquidum ambrosiae diffundit odorem,	415
Quo totum nati corpus perduxit; at illi	
Dulcis compositis spiravit crinibus aura,	
Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens	
Exesi latere in montis, quo plurima vento	
Cogitur inque sinus scindit sese unda reductos,	420
Deprensus olim statio tutissima nautis;	



Intus se vasti Proteus tegit obiice saxi.  
 Hic iuvenem in latebris aversum a lumine Nympha  
 Collocat; ipsa procul nebulis obscura resistit.  
 Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos 425  
 Ardebat caelo et medium sol igneus orbem  
 Hauserat, arebant herbae, et cava flumina siccis  
 Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:  
 Quum Proteus consueta petens e fluctibus antra  
 Ibat; eum vasti circum gens humida ponti 430  
 Exsultans rorem late dispersit amarum.  
 Sternunt se somno diversae in litore phocae;  
 Ipse, velut stabuli custos in montibus olim.  
 Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit  
 Auditisque lupos acuunt balatibus agni, 435  
 Considit scopulo medius numerumque recenset.  
 Cuius Aristaeo quoniam est oblata facultas,  
 Vix defessa senem passus componere membra,  
 Cum clamore ruit magno manicisque iacentem  
 Occupat. Ille suae contra non immemor artis, 440  
 Omnia transformat sese in miracula rerum,  
 Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.  
 Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus  
 In sese redit, atque hominis tandem ore locutus,  
 „Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras 445  
 „Iussit adire domos? quidve hinc petis?“ inquit. At ille;  
 „Scis, Proteu, scis ipse, neque est te fallere quidquam;  
 „Sed tu desine velle. Deum praecepta secuti  
 „Venimus, hinc lassus quaesitum oracula rebus“.  
 Tantum effatus. Ad haec vates vi denique multa 450  
 Ardentes oculos intorsit lumine glauco,  
 Et graviter frendens sic fatis ora resolvit:  
 „Non te nullius exercent numinis irae:  
 „Magna luis commissa: tibi has miserabilis Orpheus  
 „Haudquaquam ob meritum poenas, ni fata resistant, 455  
 „Suscitat, et rapta graviter pro coniuge saevit.  
 „Illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps,  
 „Immanem ante pedes hydram moritura puella  
 „Servantem ripas alta non vidit in herba.  
 „At chorus aequalis Dryadum clamore supremos 460  
 „Implerunt montes; flerunt Rhodopeiae arces,  
 „Altaque Pangaea et Rhesi Mavortia tellus,  
 „Atque Getae, atque Hebrus et Actias Orithyia.  
 „Ipse, cava solans aegrum testudine amorem,  
 „Te, dulcis coniunx, te solo in litore secum, 465  
 „Te veniente die, te decedente canebat.  
 „Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,  
 „Et caligantem nigra formidine lucum  
 „Ingressus, Manesque adiit regemque tremendum,

- „Nesciaque humanis precibus mansuescere corda. 470  
 „At cantu commotae Erebi de sedibus imis  
 „Umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum,  
 „Quam multa in foliis avium se milia condunt,  
 „Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber,  
 „Matres atque viri, defunctaque corpora vita. 475  
 „Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,  
 „Impositique rogis iuvenes ante ora parentum;  
 „Quos circum limus niger et deformis arundo  
 „Cocyti tardaque palus inamabilis unda  
 „Alligat, et novies Styx interfusa coercet. 480  
 „Quin ipsae stupuere domus atque intima Leti  
 „Tartara, caeruleosque implexae crinibus angues  
 „Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,  
 „Atque Ixionii vento rota constitit orbis.  
 „Iamque pedem referens casus evaserat omnes, 485  
 „Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,  
 „Pone sequens — namque hanc dederat Proserpina legem —,  
 „Quum subita incautum dementia cepit amantem,  
 „Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes:  
 „Restitit, Eurydicenque suam, iam luce sub ipsa, 490  
 „Immemor, heu, victusque animi respexit. Ibi omnis  
 „Effusus labor atque immitis rupta tyranni  
 „Foedera, terque fragor stagnis auditus Avernis.  
 „Illa : „Quis et me“ inquit „miseram et te perdidit, Orpheu,  
 „Quis tantus furor? En iterum crudelia retro 495  
 „Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.  
 „Iamque vale : feror ingenti circumdata nocte,  
 „Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas!“  
 „Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras  
 „Commixtus tenues, fugit diversa, neque illum, 500  
 „Prensantem nequidquam umbras et multa volentem  
 „Dicere, praeterea vidit, nec portitor Orci  
 „Amplius obiectam passus transire paludem.  
 „Quid faceret? quo se rapta bis coniuge ferret?  
 „Quo fletu Manes, qua Numina voce moveret? 505  
 „Illa quidem Stygia nabat iam frigida cymba.  
 „Septem illum totos perhibent ex ordine menses  
 „Rupe sub aeria deserti ad Strymonis undam  
 „Flevisse et gelidis haec evolvisse sub antris,  
 „Mulcentem tigres et agentem carmine quercus : 510  
 „Qualis populea maerens philomela sub umbra  
 „Amisso queritur fetus, quos durus arator  
 „Observans nido implumes detraxit; at illa  
 „Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen  
 „Integrat et maestis late loca questibus implet. 515  
 „Nulla Venus, non ulli animum flexere Hymenaei;  
 „Solus Hyperboreas glacies Tanaimque nivalem



„Arvaque Riphaeis numquam viduata pruinis	
„Lustrabat, raptam Eurydicen atque irrita Ditis	
„Dona querens : spretae Ciconum quo munere matres	520
„Inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi	
„Discerptum latos iuvenem sparsere per agros.	
„Tum quoque, marmorea caput a cervice revulsum	
„Gurgite quum medio portans Oeagrius Hebrus	
„Volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua,	525
„Ah miseram Eurydicen, anima fugiente vocabat :	
„Eurydicen tot referebant flumine ripae.“	
Haec Proteus, et se iactu dedit aequor in altum,	
At non Cyrene : namque ultro affata timentem :	530
„Nate, licet tristes animo deponere curas.	
„Haec omnis morbi causa ; hinc miserabile Nymphae,	
„Cum quibus illa chorus lucis agitabat in altis,	
„Exitium misere apibus. Tu munera supplex	
„Tende, petens pacem, et faciles venerare Napaeas :	535
„Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.	
„Sed, modus orandi qui sit, prius ordine dicam.	
„Quattuor eximios praestanti corpore tauros,	
„Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycaei,	
„Delige, et intacta totidem cervice iuencas.	540
„Quattuor his aras alta ad delubra dearum	
„Constitue, et sacrum iugulis demitte cruorem,	
„Corporaque ipsa boum frondoso desere luco.	
„Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,	
„Inferias Orphei Lethaea papavera mittes	545
„Et nigram mactabis ovem, lucumque revises.	
„Placatam Eurydicen vitula venerabere caesa.“	
Haud mora : continuo matris praecepta facessit.	
Ad delubra venit, monstratas excitat aras,	
Quattuor eximios praestanti corpore tauros	550
Ducit, et intacta totidem cervice iuencas.	
Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,	
Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.	
Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum	
Adspiciunt, liquefacta boum per viscera toto	555
Stridere apes utero et ruptis effervere costis,	
Immensasque trahi nubes, iamque arbore summa	
Confluere et lentis uvam demittere ramis.	

## AENEIS

## LIBER PRIMUS

## Invocația

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris  
 Italiam fato profugus, Laviniaque venit  
 Litora, multum ille et terris iactatus et alto  
 Vi superum saevae memorem Iunonis ob iram,  
 Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem 5  
 Inferretque deos Latio: genus unde Latinum  
 Albanique patres atque altae moenia Romae.  
 Musa, mihi causas memora, quo numine laeso,  
 Quidve dolens regina deum tot volvere casus 10  
 Insignem pietate virum, tot adire labores  
 Impulerit. Tantaene animis coelestibus irae?

## Eol, stăpînul vînturilor

Talia flammato secum dea corde volutans 50  
 Nimborum in patriam, loca feta furentibus Austris,  
 AEoliam venit. Hic vasto rex AEolus antro  
 Luctantes ventos tempestatesque sonoras  
 Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.  
 Illi indignantes, magno cum murmure montis, 55  
 Circum claustra fremunt; celsa sedet AEolus arce,  
 Sceptra tenens, mollitque animos et temperat iras:  
 Ni faciat, maria ac terras caelumque profundum  
 Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras. 60  
 Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,  
 Hoc metuens, molemque et montes insuper altos  
 Imposuit, regemque dedit, qui foedere certo  
 Et premere et laxas sciret dare iussus habenas.

## Furtună pe mare

Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem  
 Impulit in latus, ac venti, velut agmine facto,  
 Qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.



Incubuerunt mari, totumque e sedibus imis Una Eurisque Notisque ruunt creberque procellis Africus, et vastos volvunt ad litora fluctus.	85
Insequitur clamorque virum stridorque rudentum. Eripiunt subito nubes caelumque diemque Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra; Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether, Praesentemque viris intentant omnia mortem.	90
Extemplo AEneae solvuntur frigore membra; Ingemit et, duplices tendens ad sidera palmas, Talia voce refert: „O terque quaterque beati, „Quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis „Contigit oppetere! O Danaum fortissime gentis, „Tydide, mene Iliacis occumbere campis „Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra: „Saevus ubi AEacidae telo iacet Hector, ubi ingens „Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis „Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit?“ Talia iactanti stridens Aquilone procella Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.	95
Franguntur remi; tum prora avertit et undis Dat latus, insequitur cumulo praeruptus aquae mons. Hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens Terram inter fluctus aperit, furit aestus arenis. Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet (Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras. Dorsum immane mari summo) tres Euris ab alto	100
In brevia et Syrtes urget — miserabile visu —, Illiditque vadis atque aggere cingit arenas. Unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten, Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus In puppim ferit; excutitur pronusque magister Volvitur in caput, ast illam ter fluctus ibidem Torquet agens circum et rapidus vorat aequore vertex. Apparent rari nantes in gurgite vasto, Arma virum tabulaeque et Troia gaza per undas. Iam validam Ilionei navem, iam fortis Achatae, Et qua vectus Abas, et qua grandaeveus Aletes, Vicit hiems: laxis laterum compagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscent.	105
Interea magno misceri murmure pontum, Emissamque hiemem sensit Neptunus et imis Stagna refusa vadis, graviter commotus; et alto Prospiciens, summa placidum caput extulit unda. Disiectam AEneae toto videt aequore classem, Fluctibus oppressos Troas coelique ruina; Nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.	110
Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:	115
	120
	125
	130

„Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?  
 „Iam caelum terramque meo sine numine, Venti,  
 „Miscere et tantas audetis tollere moles?  
 „Quos ego...! Sed motos praestat componere fluctus; 135  
 „Post mihi non simili poena commissa luetis.  
 „Maturate fugam, regique haec dicite vestro,  
 „Non illi imperium pelagi saevumque tridentem,  
 „Sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,  
 „Vestras, Eurc, domos : illa se iactet in aula 140  
 „AEolus, et clauso ventorum carcere regnet.“  
 Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat,  
 Collectasque fugat nubes solemque reducit.

## LIBER SECUNDUS

### Laocoon

Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva, 40  
 Laocoon ardens summa decurrit ab arce,  
 Et procul : „O miseri, quae tanta insania, cives?  
 „Creditis avectos hostes, aut ulla putatis  
 „Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes?  
 „Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi, 45  
 „Aut haec in nostros fabricata est machina muros,  
 „Inspectura domos venturaque desuper urbi,  
 „Aut aliquis latet error. Equo ne credite, Teucri.  
 „Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes“.  
 Sic fatus, validis ingentem viribus hastam 50  
 In latus inque feri curvam compagibus alvum  
 Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso  
 Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae;  
 Et, si fata deum, si mens non laeva fuisset, 55  
 Impulerat ferro Argolicas foedare latebras,  
 Troiaque nunc stares Priamique arx alta maneres!  
 Hic aliud maius miseris multoque tremendum  
 Obicitur magis, atque improvida pectora turbat. 200  
 Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,  
 Solemnes taurum ingentem mactabat ad aras.  
 Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta —  
 Horresco referens — immensis orbibus angues  
 Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt; 205  
 Pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque  
 Sanguineae superant undas, pars cetera pontum  
 Pone legit sinuatque immensa volumine terga.  
 Fit sonitus spumante salo. Iamque arva tenebant,



Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni, Sibila lambebant linguis vibrantibus ora. Diffugimus visu exsanguis. Illi agmine certo Laocoonta petunt, et primum parva duorum Corpora natorum serpens amplexus uterque Implicat, et miseros morsu depascitur artus;	210     215
Post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem Corripiunt, spirisque ligant ingentibus, et iam Bis medium amplexi, bis collo squamea circum Terga dati, superant capite et cervicibus altis. Ille simul manibus tendit divellere nodos, Perfusus sanie vittas atroque veneno, Clamores simul horrendos ad sidera tollit :	220
Quales mugitus, fugit quum saucius aram Taurus et incertam excussit cervice securim. At gemini lapsu delubra ad summa dracones Effugiunt, saevaeque petunt Tritonidis arcem, Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.	225

## LIBER QUARTUS

### Dragostea Didonei

At regina gravi iam dudum saucia cura Vulnus alit venis, et caeco carpitur igni. Multa viri virtus animo, multusque recursat Gentis honos; haerent infixi pectore vultus Verbaque, nec placidam membris dat cura quietem.	5
Postera Phoebea lustrabat lampade terras Humentemque Aurora polo dimoverat umbram, Quum sic unanimam alloquitur male sana sororem :	
„Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent?	
„Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?	10
„Quem sese ore ferens! quam forti pectore et armis!	
„Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum :	
„Degeneras animos timor arguit. Heu, quibus ille	
„Iactatus fati! quae bella exhausta canebat!	
„Si mihi non animo fixum immotumque sederet,	15
„Ne cui me vinco vellem sociare iugali,	
„Postquam primus amor deceptam morte fefellit;	
„Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset :	
„Huic uni forsant potui succumbere culpae.	
„Anna-fatebor enim-, miseri post fata Sychaei	20
„Coniugis et sparsos fraterna caede Penates,	
„Solutus hic inflexit sensus, animumque labantem	

- „Impulit : agnosco veteris vestigia flammae,  
 „Scd mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,  
 „Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras, 25  
 „Pallentes umbras Erebi noctemque profundam,  
 „Ante, Pudor, quam te violo aut tua iura resolvo.  
 „Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores  
 „Abstulit : ille habeat secum servetque sepulcro“.  
 Sic effata, sinum lacrimis implevit obortis. 30  
 Anna refert : „O luce magis dilecta sorori,  
 „Solane perpetua macrens carpere iuventa,  
 „Nec dulces natos, Veneris nec praemia noris?  
 „Id cinerem aut Manes credis curare sepultos?  
 „Esto : aegram nulli quondam flexere mariti, 35  
 „Non Libyae, non ante Tyro ; despectus Iarbas  
 „Ductoresque alli, quos Africa terra triumphis  
 „Dives alit ; placitone etiam pugnabis amori?  
 „Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?  
 „Hinc Gaetulac urbes, genus insuperabile bello, 40  
 „Et Numidac infreni cingunt et inhospita Syrtis ;  
 „Hinc deserta siti regio, lateque furentes  
 „Barcaei. Quid bella Tyro surgentia dicam,  
 „Germanique minas?  
 „Dis equidem auspicibus reor et Iunone secunda 45  
 „Hunc cursum Illiacas vento tenuisse carinas.  
 „Quam tu urbem, soror, hanc cernes, quae surgere regna  
 „Coniugio tali ! Teucrum comitantibus armis,  
 „Punica se quantis attollet gloria rebus!  
 „Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis 50  
 „Indulge hospitio, causasque innecte morandi,  
 „Dum pelago desaevit hiems et aquosus Orion,  
 „Quassataeque rates, dum non tractabile coelum“.  
 His dictis incensum animum inflammavit amore,  
 Spemque dedit dubiae menti, solvitque pudorem. 55  
 Principio delubra adeunt, pacemque per aras  
 Exquirunt ; mactant lectas de more bidentes  
 Legiferae Cereri Phoeboque patrique Lyaco,  
 Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curae.  
 Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido 60  
 Candentis vaccae media inter cornua fundit,  
 Aut ante ora deum pingues spatiatur ad aras,  
 Instauratque diem donis, pecudumque reclusis  
 Pectoribus inhians spirantia consulit exta.  
 Heu vatum ignarae mentes ! quid vota furentem, 65  
 Quid delubra iuvant ? Est mollis flamma medullas  
 Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus.  
 Uritur infelix Dido totaque vagatur  
 Urbe furens, qualis coniecta cerva sagitta,  
 Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit 70



Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum  
 Nescius; illa fuga silvas saltusque peragrat  
 Dictaeos, haeret lateri letalis arundo.  
 Nunc, media AENEAN secum per moenia ducit,  
 Sidoniasque ostentat opes urbemque paratam, 75  
 Incipit effari mediaque in voce resistit;  
 Nunc eadem labente die convivia quaerit,  
 Iliacosque iterum demens audire labores  
 Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.  
 Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim 80  
 Luna premit suadentque cadentia sidera somnos,  
 Sola domo maeret vacua, stratisque relictis  
 Incubat. Illum absens absentem auditque videtque:  
 Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,  
 Detinet, infandum si fallere possit amorem. 85  
 Non coeptae assurgunt turres, non arma iuventus  
 Exercet, portusve aut propugnacula bello  
 Tuta parant; pendent opera interrupta minaeque  
 Murorum ingentes aequataque machina coelo.

### Zvonul

Extemplo Libyae magnas it Fama per urbes,  
 Fama malum, qua non aliud velocius ullum;  
 Mobilitate viget, viresque acquirit eundo; 175  
 Parva metu primo, mox sese attollit in auras,  
 Ingrediturque solo et caput inter nubila condit.  
 Illam Terra parens, ira irritata deorum,  
 Extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem  
 Progenuit, pedibus celerem et pernicipibus alis, 180  
 Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumae,  
 Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,  
 Tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures.  
 Nocte volat caeli medio terraeque per umbram  
 Stridens, nec dulci declinat lumina somno; 185  
 Luce sedet custos aut summi culmine tecti,  
 Turribus aut altis, et magnas territat urbes,  
 Tam ficti pravique tenax quam nuntia veri.  
 Haec tum multiplici populos sermone replebat  
 Gaudens et pariter facta atque infecta canebat: 190  
 Venisse AENEAN, Troiano sanguine cretum,  
 Cui se pulchra viro dignetur iungere Dido;  
 Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere,  
 Regnorum immemores turpique cupidine captos.  
 Haec passim dea foeda virum diffundit in ora. 195  
 Protinus ad regem cursus detorquet Iarban,  
 Incenditque animum dictis atque aggerat iras.

## Întrevederea cu Aeneas

At regina dolos (quis fallere possit amantem?)  
 Praesens motusque excepit prima futuros,  
 Omnia tuta timens; eadem impia Fama furenti  
 Detulit armari classem cursumque parari. 300  
 Saevit inops animi totamque incensa per urbem  
 Bacchatur; qualis commotis excita sacris  
 Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho  
 Orgia nocturnusque vocat clamore Cithaeron.  
 Tandem his AENEAN compellat vocibus ultro :  
 „Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum 305  
 Posse nefas tacitusque mea decedere terra?  
 Nec te noster amor nec te data dextera quondam  
 Nec moritura tenet crudeli funere Dido?  
 Quin etiam hiberno moliris sidere classem  
 Et mediis properas Aquilonibus ire per altum, 310  
 Crudelis! Quid, si non arva aliena domosque  
 Ignotas peteres et Troia antiqua maneret,  
 Troia per undosum peteretur classibus aequor?  
 Mene fugis? Per ego has lacrimas dextramque tuam te  
 (Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui), 315  
 Per conubia nostra, per inceptos hymenaeos,  
 Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam  
 Dulce meum, miserere domus labentis et istam,  
 Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem!  
 Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni 320  
 Odere, infensi Tyrii; te propter eundem  
 Exinctus pudor et, qua sola sidera adibam,  
 Fama prior. Cui me moribundam deseris, hospes?  
 Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.  
 Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater  
 Destruat aut captam ducat Gaetulus Iarbas? 325  
 Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset  
 Ante fugam suboles, si quis mihi parvulus aula  
 Luderet AENEAS, qui te tamen ore referret,  
 Non equidem omnino capta ac deserta viderer!“ 330  
 Dixerat. Ille Iovis monitis immota tenebat  
 Lumina et obnixus curam sub corde premebat.  
 Tandem pauca refert : „Ego te, quae plurima fando  
 Enumerare vales, numquam, regina, negabo  
 Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissae, 335  
 Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.  
 Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto  
 Speravi (ne finge) fugam nec coniugis umquam  
 Praetendi taedas aut haec in foedera veni.  
 Me si fata meis paterentur ducere vitam 340  
 Auspicis et sponte mea componere curas,



Urbem Troianam primum dulcesque meorum  
 Reliquias colerem : Priami tecta alta manerent  
 Et recidiva manu posuissem Pergama victis.  
 Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo, 345  
 Italiam Lyciae iussere capessere sortes :  
 Hic amor, haec patria est. Si te Carthaginis arces  
 Phoenissam, Libycaeque aspectus detinet urbis,  
 Quae tandem Ausonia Teucros considerare terra  
 Invidia est? Et nos fas extera quaerere regna. 350  
 Me patris Anchisae, quotiens umentibus umbris  
 Nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,  
 Admonet in somnis et turbida terret imago:  
 Me puer Ascanius capitisque iniuria cari,  
 Quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis. 355  
 Nunc etiam interpret divum, Iove missus ab ipso,  
 Testor utrumque caput, celeres mandata per auras  
 Detulit; ipse deum manifesto in lumine vidi  
 Intransant muros vocemque his auribus hausit.  
 Desine meque tuis incendere teque querelis; 360  
 Italiam non sponte sequor".  
 Talia dicentem iamdudum aversa tuetur,  
 Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat  
 Luminibus tacitis et sic accensa profatur :  
 „Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor, 365  
 Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens  
 Caucasus Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.  
 Nam quid dissimulo? aut quae me ad maiora reservo?  
 Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?  
 Num lacrimas victus dedit aut miseratus amantem est? 370  
 Quae quibus anteferam? Iamiam nec maxima Iuno  
 Nec Saturnius haec oculis pater aspicit aequis.  
 Nusquam tuta fides. Eiectum litore, egentem  
 Excepi et regni demens in parte locavi :  
 Amissam classem, socios a morte reduxi. 375  
 Heu! furiis incensa feror : Nunc augur Apollo,  
 Nunc Lyciae sortes, nunc et Iove missus ab ipso  
 Interpres divum fert horrida iussa per auras.  
 Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos  
 Sollicitat! Neque te teneo neque dicta refello; 380  
 I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.  
 Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,  
 Supplicia hausurum scopulis et nomine Dido  
 Saepe vocaturum. Sequar atris ignibus absens  
 Et cum frigida mors anima seduxerit artus, 385  
 Omnibus umbra locis adero : dabis, improbe, poenas.  
 Audiam, et haec Manes veniet mihi fama sub imos."  
 His medium dictis sermonem abrumpit et auras  
 Aegra fugit seque ex oculis avertit et aufert,

Linquens multa metu cunctantem et multa parantem **390**  
 Dicere. Suscipiunt famulae collapsaque membra  
 Marmoreo referunt thalamo stratisque reponunt.  
 At pius AENEAS, quanquam lenire dolentem  
 Solando cupit et dictis avertere curas,  
 Multa gemens magnoque animum labefactus amore, **395**  
 Iussa tamen divum exsequitur classemque revisit.

### Pastel

Nox erat et placidum carpebant fessa soporem  
 Corpora per terras silvaeque et saeva quierant  
 Aequora, cum medio volvuntur sidera lapsu,  
 Cum tacet omnis ager, pecudes pictaeque volucres, **525**  
 Quaeque lacus late liquidos quaeque aspera dumis  
 Rura tenent, somno positae sub nocte silenti  
 (Lenibant curas et corda oblita laborum).  
 At non infelix animi Phoenissa, neque umquam  
 Solvitur in somnos oculisve aut pectore noctem **530**  
 Accipit; ingeminant curae rursusque resurgens  
 Saevit amor magnoque irarum fluctuat aestu.  
 Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat :  
 „En, quid ago? Rursusne procos irrisa priores  
 „Experiar, Nomadumque petam connubia supplex, **535**  
 „Quos ego sim toties iam dedignata maritos? —  
 „Iliacas igitur classes atque ultima Teucrum  
 „Iussa sequar? quiane auxilio iuvat ante levatos,  
 „Et bene apud memores veteris stat gratia facti? —  
 „Quis me autem — fac velle — sinet, ratibusque superbis **540**  
 „Invisam accipiet? nescis, heu, perdita, necdum  
 „Laomedontae sentis periuria gentis?  
 „Quid tum? Sola fuga nautas comitabor ovantes,  
 „An Tyriis omnique manu stipata meorum  
 „Inferar et, quos Sidonia vix urbe revelli, **545**  
 „Rursus agam pelago et ventis dare vela iubebo? —  
 „Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem!  
 „Tu, lacrimis evicta meis, tu prima furentem  
 „His, germana, malis oneras, atque obiicis hosti.  
 „Non licuit thalami expertem sine crimine vitam **550**  
 „Degere, more ferae, tales nec tangere curas!  
 „Non servata fides, cineri promissa Sychaeo!“  
 Tanto illa suo rumpebat pectore questus.

### Blestemul Didonei

Et iam prima novo spargebat lumine terras  
 Tithoni croceum linquens Aurora cubile. **585**  
 Regina e speculis ut primum albescere lucem



Vidit et aequatis classem procedere velis,  
 Litoraue et vacuos sensit sine remige portus;  
 Terque quaterque manu pectus percussa decorum,  
 Flavescentesque abscissa comas, „Pro Iupiter, ibit 590  
 „Hic, „ait, „et nostris illuserit advena regnis?  
 „Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur,  
 „Diripientque rates alii navalibus? Ite,  
 „Ferte citi flammas, date tela, impellite remos! —  
 „Quid loquor, aut ubi sum? Quae mentem insania mutat? 595  
 „Infelix Dido, nunc te facta impia tangunt?  
 „Tunc decuit, quum sceptrum dabas. — En dextra fidesque  
 „Quem secum patrios aiunt portare Penates,  
 „Quem subiisse humeris confectum aetate parentem! —  
 „Non potui abreptum divellere corpus et undis 600  
 „Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro  
 „Ascanium, patriisque epulandum ponere mensis? —  
 „Verum anceps pugnae fuerat fortuna. — Fuisset:  
 „Quem metui moritura? Faces in castra tulissem,  
 „Implessemque foros flammis, natumque patremque 605  
 „Cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem. —  
 „Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,  
 „Tuque harum interpretis curarum et conscia Iuno,  
 „Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes,  
 „Et Dirae ultrices, et di morientis Elissae, 610  
 „Accipite haec, meritumque malis advertite numen,  
 „Et nostras audite preces. Si tangere portus  
 „Infandum caput ac terris adnare necesse est,  
 „Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret;  
 „At bello audacis populi vexatus et armis, 615  
 „Finibus extorris, complexu avulsus Iuli,  
 „Auxilium impleret, videatque indigna suorum  
 „Funera, nec, quum se sub leges pacis iniquae  
 „Tradiderit, regno aut optata luce fruatur;  
 „Sed cadat ante diem mediaque inhumatus arena. 620  
 „Haec precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.  
 „Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum  
 „Exercete odiis, cinerique haec mittite nostro  
 „Munera. Nullus amor populis, nec foedera sunt.  
 „Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, 625  
 „Qui face Dardanos ferroque sequare colonos,  
 „Nunc, olim, quocumque dabunt se tempore vires.  
 „Litora litoribus contraria, fluctibus undas  
 „Imprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotesque!“  
 Haec ait, et partes animum versabat in omnes, 630  
 Invisam quaerens quam primum abrumpere lucem.

## Moartea Didonei

At trepida et coeptis immanibus effera Dido,  
 Sanguineam volvens aciem maculisque trementes  
 Interfusa genas et pallida morte futura, 645  
 Interiora domus irrumpit limina, et altos  
 Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit  
 Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.  
 Hic, postquam Iliacas vestes notumque cubile  
 Conspexit, paulum lacrimis et mente morata,  
 Incubuitque toro, dixitque novissima verba : 650  
 „Dulces exuviae, dum fata deusque sinebat,  
 „Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.  
 „Vixi et, quem dederat cursum fortuna, peregi,  
 „Et nunc magna mei sub terras ibit imago.  
 „Urbem praeclaram statui, mea moenia vidi; 655  
 „Ultra virum, poenas inimico a fratre recepi;  
 „Felix, heu nimium felix, si litora tantum  
 „Numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae!.,  
 Dixit et, os impressa toro, „Moriemur inultae;  
 „Sed moriamur!“ ait : „sic iuvat ire sub umbras. 660  
 „Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto  
 „Dardanus, et nostrae secum ferat omina mortis“.  
 Dixerat : atque illam media inter talia ferro  
 Collapsam adspiciunt comites, ensemque cruore  
 Spumantem sparsasque manus. It clamor ad alta 665  
 Atria; concussam bacchatur fama per urbem;  
 Lamentis gemituque et femineo ululatu  
 Tecta fremunt; resonat magnis plangoribus aether,  
 Non aliter, quam si immissis ruat hostibus omnis  
 Carthago aut antiqua Tyros, flammaeque furentes 670

Culmina perque hominum volvantur perque deorum.  
 Illa, graves oculos conata attollere, rursus  
 Deficit; infixum stridit sub pectore vulnus.  
 Ter sese attollens cubitoque innixa levavit; 690  
 Ter revoluta toro est, oculique errantibus alto  
 Quaesivit caelo lucem, ingemuitque reperta.  
 Tum Iuno omnipotens, longum miserata dolorem  
 Difficilesque obitus, Irim demisit Olympo,  
 Quae luctantem animam nexosque resolveret artus. 695  
 Nam quia nec fato, merita nec morte peribat  
 Sed misera ante diem subitoque accensa furore,  
 Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem  
 Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.  
 Ergo Iris croceis per coelum roscida pennis,  
 Mille trahens varios adverso sole colores, 700  
 Devolat, et supra caput adstitit : „Hunc ego Diti



„Sacrum iussa fero, teque isto corpore solvo“  
Sic ait, et dextra crinem secat : omnis et una  
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

705

## LIBER SEXTUS

### Călătorie în Infern

Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,  
Perque domos Ditis vacuas et inania regna :  
Quale per incertam lunam sub luce maligna  
Est iter in silvis, ubi coelum condiit umbra  
Iuppiter, et rebus nox abstulit atra colorem.  
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci  
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae,  
Pallentesque habitant Morbi tristisque Senectus,  
Et Metus et malesuada Fames ac turpis Egestas,  
Terribiles visu formae, Letumque Labosque  
Tum consanguineus Leti Sopor, et mala mentis  
Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum,  
Ferrique Eumenidum talhama, et Discordia demens,  
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.  
In medio ramos annosaque brachia pandit  
Ulmus opaca, ingens, quam sedem Somnia vulgo  
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.  
Multaque praeterea variarum monstra ferarum,  
Centauri in foribus stabulant, Scyllaeque biformes,  
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lerna  
Horrendum stridens, flammisque armata Chimaera,  
Gorgones Harpyiaequae et Forma tricorporis umbrae.  
Corripit hic subita trepidus formidine ferrum  
Aeneas, strictamque aciem venientibus offert ;  
Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas  
Admoneat volitare cava sub imagine formae,  
Irruat et frustra ferro diverberet umbras.  
Hinc via Tartarei quae fert Acherontis ad undas.  
Turbidus hic caeno vastaque voragine gurgis  
Aestuat atque omnem Cocyto eructat harenam.  
Portitor has horrendus aquas et flumina servat  
Terribili squalore Charon, cui plurima mento  
Canities inculca iacet, stant lumina flammae,  
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus ;  
Ipse ratem conto subigit velisque ministrat,  
Et ferruginea subvectat corpora cymba,  
Iam senior, sed cruda deo viridisque senectus.

270

275

280

285

290

295

300

Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat, 305  
 Matres atque viri, defunctaque corpora vita  
 Magnanimum heroum, pueri innuptaque puellae,  
 Impositique rogis iuvenes ante ora parentum :  
 Quam multa in silvis autumni frigore primo  
 Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto 310  
 Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus  
 Trans pontum fugat et terris immittit apricis.  
 Stabant orantes primi transmittere cursum,  
 Tendebantque manus ripae ulterioris amore ;  
 Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos, 315  
 Ast alios longe submotos arcet arena.

### Întîlnirea cu Dido

Inter quas Phoenissa recens a vulnere Dido 450  
 Errabat silva in magna : quam Troius heros  
 Ut primum iuxta stetit agnovitque per umbras  
 Obscuram, qualem primo qui surgere mense  
 Aut videt aut vidisse putat per nubila lunam,  
 Demisit lacrimas, dulcique affatus amore est : 455  
 „Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo  
 „Venerat exstinctam ferroque extrema secutam?  
 „Funeris, heu! tibi causa fui! Per sidera iuro,  
 „Per superos, et si qua fides tellure sub ima est,  
 „Invitus, regina, tuo de litore cessi ; 460  
 „Sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,  
 „Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,  
 „Imperiis egere suis, nec credere quivi  
 „Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.  
 „Siste gradum, teque adspectu ne substrahe nostro. 465  
 „Quem fugis? extremum, fato quod te alloquor, hoc est“.  
 Talibus AENEAS ardentem et torva tuentem  
 Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat ;  
 Illa solo fixos oculos aversa tenebat,  
 Nec magis incepto vultum sermone movetur, 470  
 Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.  
 Tandem corripuit sese, atque inimica refugit  
 In nemus umbriferum, coniunx ubi pristinus illi  
 Respondet curis aequatque Sychaeus amorem.  
 Nec minus AENEAS, casu concussus iniquo, 475  
 Prosequitur lacrimis longe et miseratur euntem.



## Eroii viitoarei Rome

Dixerat Anchises, natumque unaque Sibyllam Conventus trahit in medios turbamque sonantem, Et tumulum capit, unde omnes longo ordine posset Adversos legere et venientum discere vultus.	755
„Nunc age, Dardanium prolem quae deinde sequatur „Gloria, qui maneat Itala de gente nepotes, „Illustres animas nostrumque in nomen ituras, „Expeditam dictis, et te tua fata docebo.	
„Ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta, „Proxima sorte tenet lucis loca, primus ad auras „Aetherias Italo commixtus sanguine surget, „Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles :	760
„Quem tibi longaevo serum Lavinia coniunx „Educet silvis regem regumque parentem :	765
„Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba. „Proximus ille Procas, Troianae gloria gentis, „Et Capys et Numitor, et qui te nomine reddet „Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis	
„Egregius, si umquam regnandam acceperit Albam. „Qui iuvenes! Quantas ostentant, adspice, vires! „Atque umbrata gerunt civili tempora quercu. „Hi tibi Nomentum et Gabios urbemque Fidenam, „Hi Collatinas imponent montibus arces, „Pometios Castrumque Inui Bolamque Coramque :	770
„Haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae. „Quin et avo comitem sese Mavortius addet „Romulus, Assaraci quem sanguinis Iliia mater „Educet. Viden' ut geminae stant vertice cristae, „Et pater ipse suo Superum iam signat honore?	775
„En, huius, nate, auspiciis illa inclyta Roma „Imperium terris, animos aequabit Olympo, „Septemque una sibi muro circumdabit arces, „Felix prole virum qualis Berecynthia mater „Invehitur curru Phrygias turrita per urbes, „Laeta deum partu, centum complexa nepotes, „Omnes caelicolas, omnes supera alta tenentes. „Huc geminas nunc flecte acies, hanc adspice gentem „Romanosque tuos. Hic Caesar et omnis Iuli „Progenies, magnum caeli ventura sub axem.	780
„Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis, „Augustus Caesar, Divi genus : aurea condet „Saecula qui rursus Latio, regnata per arva „Saturno quondam, super et Garamantas et Indos „Proferet imperium ; iacet extra sidera tellus, „Extra anni Solisque vias, ubi caelifer Atlas	785
	790
	795

- „Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.  
 „Huius in adventum iam nunc et Caspia regna  
 „Responsis horrent divum et Maeotia tellus,  
 „Et septemgemini turbant trepida ostia Nili. 800  
 „Nec vero Alcides tantum telluris obivit,  
 „Fixerit aripedem cervam licet, aut Erymanthi  
 „Pacarit nemora et Lernam tremefecerit arcu;  
 „Nec, qui pampineis victor iuga flectit habenis,  
 „Liber, agens celso Nysae de vertice tigres. 805  
 „Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?  
 „Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?  
 „Quis procul ille autem ramis insignis olivae,  
 „Sacra ferens? Nosco crines incanaque menta  
 „Regis Romani, primus qui legibus urbem 810  
 „Fundabit, Curibus parvis et paupere terra  
 „Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,  
 „Otia qui rumpet patriae, residesque movebit  
 „Tullus in arma viros et iam desueta triumphis  
 „Agmina. Quem iuxta sequitur iactantior Ancus, 815  
 „Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.  
 „Vis et Tarquinius reges animamque superbam  
 „Ultoris Bruti fascesque videre receptos?  
 „Consulis imperium hic primus saevasque secures  
 „Accipiet, natosque pater nova bella moventes 820  
 „Ad poenam pulchra pro libertate vocabit,  
 „Infelix! Utcumque ferent ea facta minores;  
 „Vincet amor patriae laudumque immensa cupido.  
 „Quin Decios Drusosque procul saevumque securi  
 „Adspice Torquatam et referentem signa Camillum. 825  
 „Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis,  
 „Concordes animae nunc et dum nocte premuntur,  
 „Heu! quantum inter se bellum, si lumina vitae  
 „Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt!  
 „Aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci 830  
 „Descendens, gener adversis instructus Eois.  
 „Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella,  
 „Neu patriae validas in viscere vertite vires!  
 „Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,  
 „Proiice tela manu, sanguis meus! 835  
 „Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho  
 „Victor aget currum, caesis insignis Achivis.  
 „Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas,  
 „Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli,  
 „Ultus avos Troiae, templa et temerata Minervae. 840  
 „Quis te, magne Cato, facitum, aut te, Cosse, relinquat?  
 „Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina belli,  
 „Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem  
 „Fabricium, vel te sulco, Serane, serentem?



- „Quo fessum rapitis, Fabii? Tu Maximus ille es, 845  
 „Unus qui nobis cunctando restituis rem.  
 „Excudent alii spirantia mollius aera,  
 „Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus,  
 „Orabunt causas melius, caelique meatus  
 „Describent radio et surgentis sidera dicent; 850  
 „Tu regere imperio populos, Romane, memento :  
 „Haec tibi erunt artes, pacisque imponere morem,  
 „Parcere subicctis, et debellare superbos“.  
 Sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit :  
 „Adspice ut insignis spoliis Marcellus opimis 855  
 „Ingreditur, victorque viros supereminet omnes!  
 „Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,  
 „Sistet, eques sternet Poenos Gallumque rebellem,  
 „Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino“.  
 Atque hic Aeneas — una namque ire videbat 860  
 Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis,  
 Sed frons laeta parum, et deiecto lumina vultu — :  
 „Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?  
 „Filius, ane aliquis magna de stirpe nepotum?  
 „Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso! 865  
 „Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.“  
 Tum pater Anchises, lacrimis ingressus obortis :  
 „O nate, ingentem luctum ne quaere tuorum.  
 „Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra  
 „Esse sinent. Nimum vobis Romana propago 870  
 „Visa potens, Superi, propria haec si dona fuissent.  
 „Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem  
 „Campus aget gemitus vel quae, Tiberine, videbis  
 „Funera, quum tumulum praeterlabere recentem!  
 „Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos 875  
 „In tantum spe tollet avos, nec Romula quondam  
 „Ullo se tantum tellus iactabit alumno.  
 „Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello  
 „Dextera! non illi se quisquam impune tulisset  
 „Obvius armato, seu quum pedes iret in hostem, 880  
 „Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.  
 „Heu, miserande puer, si qua fata aspera rumpas!  
 „Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis;  
 „Purpureos spargam flores, animamque nepotis  
 „His saltem accumulem donis, et fungar inani 885  
 „Munere.“ Sic tota passim regione vagantur  
 Aeris in campis latis, atque omnia lustrant.  
 Quae postquam Anchises natum per singula duxit,  
 Incenditque animum famae venientis amore;  
 Exin bella viro memorat, quae deinde gerenda, 890  
 Laurentesque docet populos urbemque Latini,  
 Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.

Sunt geminae Somni portae, quarum altera fertur  
 Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris;  
 Altera candenti perfecta nitens elephanto, 895  
 Sed falsa ad caelum mittunt insomnia Manes.  
 His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam  
 Prosequitur dictis, portaque emittit eburna;  
 Ille viam secat ad naves sociosque revisit.  
 Tum se ad Caietae recto fert litore portum.  
 Ancora de prora iacitur, stant litore puppes.

## LIBER OCTAVUS

### Călătoria pe Tibru

Thybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem  
 Leniit, et tacita refluens ita substitit unda,  
 Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis  
 Sterneret aequor aquis, remo ut luctamen abesset.  
 Ergo iter inceptum celerant rumore secundo; 90  
 Labitur uncta vadis abies, mirantur et undae,  
 Miratur nemus insuetum fulgentia longe  
 Scuta virum fluvio, pictasque innare carinas.  
 Olli remigio noctemque diemque fatigant,  
 Et longos superant flexus, variisque teguntur 95  
 Arboribus, viridesque secant placido aequore silvas.  
 Sol medium caeli conscenderat igneus orbem,  
 Quum muros arcemque procul ac rara domorum  
 Tecta vident, quae nunc Romana potentia caelo  
 Aequavit; tum res inopes Evandrus habebat. 100

### Scutul lui Aeneas

Illic res Italas Romanorumque triumphos, 626  
 Haud vatum ignarus venturique inscius aevi,  
 Peccrat Ignipotens; illic genus omne futurae  
 Stirpis ab Ascanio pugnataque in ordine bella.  
 Nec procul hinc Romam et raptas sine more Sabinas 635  
 Consessu caveae, magnis Circensibus actis,  
 Addiderat, subitoque novum consurgere bellum  
 Romulidis Tatíoque seni Curibusque severis.  
 Post idem, inter se posito certamine, reges  
 Armati Iovis ante aram paterasque tenentes 640  
 Stabant et caesa iungebant foedera porca.



Haud procul inde citae Medtū in diversa quadrigae  
 Distulerant — at tu dictis, Albane, maneres! —,  
 Raptabatque viri mendacis viscera Tullus  
 Per silvam, et sparsi rorabant sanguine vepres. 645  
 Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat  
 Accipere, ingentique urbem obsidione premebat;  
 Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.  
 Illum indignanti similem similemque minanti  
 Adspiceres, pontem auderet quia vellere Cocles, 650  
 Et fluvium vinclis inaret Cloelia ruptis.  
 In summo custos Tarpeiae Manlius arcis  
 Stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat,  
 Romuleoque recens horrebat regia culmo.  
 Atque hic auratis volitans argenteus anser 655  
 Porticibus Gallos in limine adesse canebat;  
 Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,  
 Defensi tenebris et dono noctis opacae:  
 Aurea caesaries ollis atque aurea vestis;  
 Virgatis lucent sagulis; tum lactea colla 660  
 Auro innectuntur; duo quisque Alpina coruscant  
 Gaesa manu, scutis protecti corpora longis.  
 Hic exsultantes Salios nudosque Lupercos,  
 Lanigerosque apices et lapsa ancilia caelo  
 Extuderat; castae ducebant sacra per urbem  
 Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit 665  
 Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis,  
 Et scelerum poenas, et te, Catilina, minaci  
 Pendentem scopulo Furiarumque ora trementem;  
 Secretosque pios; his dantem iura Catonem. 670  
 Haec inter tumidi late maris ibat imago  
 Aurea; sed fluctu spumabant caerulea cano,  
 Et circum argento clari delphines in orbem  
 Aequora verrebant caudis, aestumque secabant.  
 In medio classes aeratas, Actia bella,  
 Cernere crat; totumque instructo Marte videres 675  
 Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.  
 Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar  
 Cum Patribus populoque, Penatibus et magnis Dis,  
 Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammis 680  
 Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus:  
 Parte alia ventis et dis Agrippa secundis  
 Arduus agmen agens: cui, belli insigne superbum,  
 Tempora navali fulgent rostrata corona.  
 Hinc ope barbarica variisque Antonius armis, 685  
 Victor ab Aurorae populis et litore rubro,

Aegyptum viresque Orientis et ultima secum  
 Bactra vehit; sequiturque — nefas! — Aegyptia coniunx,  
 Una omnes ruere, ac totum spumare reductis  
 Convulsum remis rostrisque tridentibus aequor. 690  
 Alta petunt: pelago credes innare revulsas  
 Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:  
 Tanta mole viri turritis puppibus instant!  
 Stuppea flamma manu telisque volatile ferrum  
 Spargitur; arva nova Neptunia caede rubescunt. 695  
 Regina in mediis patrio vocat agmina sistro,  
 Necdum etiam geminos a tergo respicit angues.  
 Omnigenumque deum monstra et latrator Anubis  
 Contra Neptunum et Venerem contraque Minervam  
 Tela tenent. Saevit medio in certamine Mavors 700  
 Caelatus ferro, tristesque ex aethere Dirae;  
 Et scissa gaudens vadit Discordia palla,  
 Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.  
 Actius haec cernens arcum intendebat Apollo  
 Desuper: omnis eo terrore Aegyptus et Indi, 705  
 Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei;  
 Ipsa videbatur ventis regina vocatis  
 Vela dare, et laxos iam iamque immittere funes.  
 Illam inter caedes pallentem morte futura  
 Fecerat Ignipotens undis et Iapyge ferri; 710  
 Contra autem magno macrentem corpore Nilum,  
 Pandentemque sinus et tota veste vocantem  
 Caeruleum in gremium latebrosaue flumina victos.  
 At Caesar, triplici invectus Romana triumpho  
 Moenia, dis Italis votum immortale sacrabat, 715  
 Maxima ter centum totam delubra per Urbem.  
 Laetitia ludisque viae plausuque fremebant:  
 Omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae;  
 Ante aras terram caesi stravere iuveni.  
 Ipse, sedens niveo candentis limine Phoebi, 720  
 Dona recognoscit, populorum, aptatque superbis  
 Postibus: incedunt victae longo ordine gentes,  
 Quam variae linguis, habitu tam vestis et armis.  
 Hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,  
 Hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos 725  
 Finxerat; Euphrates ibat iam mollior undis,  
 Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis,  
 Indomitique Dahae et pontem indignatus Araxes.  
 Talia per clipeum Vulcani, dona parentis,  
 Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet,  
 Attollens humero famamque et fata nepotum.



## LIBER NONUS

## Nisus și Euryalus

Nisus erat portae custos, acerrimus armis,  
 Hyrtacides, comitem AENEAE quem miserat Ida  
 Venatrix, iaculo celerem levibusque sagittis;  
 Et iuxta comes Euryalus, quo pulchrior alter  
 Non fuit AENEADUM Troiana neque induit arma, 180  
 Ora puer prima signans intonsa iuventa.  
 His amor unus erat, pariterque in bella ruebant;  
 Tum quoque communi portam statione tenebant.  
 Nisus ait: „Dine hunc ardorem mentibus addunt,  
 „Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido? 185  
 „Aut pugnam aut aliquid iam dudum invadere magnum  
 „Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.  
 „Cernis, quae Rutulos habeat fiducia rerum.  
 „Lumina rara micant, somno vinoque soluti  
 „Procubere, silent late loca. Percipe porro, 190  
 „Quid dubitem, et quae nunc animo sententia surgat.  
 „AENEAN acciri omnes, populusque patresque,  
 „Exposcunt, mittique viros, qui certa reportent.  
 „Si, tibi quae posco, promittunt — nam mihi facti  
 „Fama sat est — ; tumulo videor reperire sub illo 195  
 „Posse viam ad muros et moenia Pallantea“.  
 Obstipuit magno laudum percussus amore  
 Euryalus; simul his ardentem affatur amicum:  
 „Mene igitur socium summis adiungere rebus,  
 „Nise, fugis? Solum te in tanta pericula mittam? 200  
 „Non ita me genitor, bellis assuetus Opheltis,  
 „Argolicum terrorem inter Troiaeque labores  
 „Sublatum erudiit, nec tecum talia gessi,  
 „Magnanimum AENEAN et fata extrema secutus:  
 „Est hic, est animus lucis contemptor, et istum 205  
 „Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem“.  
 Nisus ad haec: „Equidem de te nil tale verebar;  
 „Nec fas; non: ita me referat tibi magnus ovantem  
 „Iuppiter, aut quicumque oculis haec adspicit aequis.  
 „Sed si quis — quae multa vides discrimine tali — 210  
 „Si quis in adversum rapiat casusve deusve;  
 „Te superesse velim: tua vita dignior aetas.  
 „Sit, qui me raptum pugna pretiove redemptum  
 „Mandet humo; solita aut si qua id fortuna vetabit,  
 „Absentem ferat inferias decoretque sepulcro. 215  
 „Neu matri miserae tanti sim causa doloris,  
 „Quae te sola, puer, multis e matribus ausa,

„Persequitur, magni nec moenia curat Acestae“.	
Ille autem „Causas nequidquam nectis inanes,	
„Nec mea iam mutata loco sententia cedit.	220
„Acceleremus!“ ait; vigiles simul excitat. Illi	
Succedunt servantque vices; statione relicta	
Ipsa comes Niso graditur, regemque requirunt.	
Egressi superant fossas, noctisque per umbram	
Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri	315
Exitio. Passim somno vinoque per herbam	
Corpora fusa vident, arrectos litore currus,	
Inter lora rotasque viros, simul arma iacere,	
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus :	
„Euryale, audendum dextra : nunc ipsa vocat res.	320
„Hac iter est : tum ne qua manus se attollere nobis	
„A tergo possit, custodi et consule longe;	
„Haec ego vasta dabo, et lato te limite ducam“.	
Sic memorat, vocemque premit; simul ense superbum	
Rhamnetem aggreditur, qui forte, tapetibus altis	325
Exstructus toto proflabat pectore somnum,	
Rex idem et regi Turno gratissimus augur;	
Sed non augurio potuit depellere pestem.	
Tres iuxta famulos, temere inter tela iacentes,	
Armigerumque Remi premit aurigamque, sub ipsis	330
Nactus equis, ferroque secat pendentia colla,	
Tum caput ipsi aufert domino truncumque relinquit	
Sanguine singultantem : atro tepefacta cruore	
Terra torique madent. Nec non Lamyrumque Lamumque,	
Et iuvenem Serranum, illa qui plurima nocte	335
Luserat, insignis facie, multoque iacebat	
Membra deo victus : felix, si protinus illum	
Aequasset nocti ludum in lucemque tulisset!	
Impastus ceu plena leo per ovilia turbans	
Suadet enim vesana fames — manditque trahitque	340
Molle pecus mutumque metu, fremit ore cruento.	
Nec minor Euryali caedes : incensus et ipse	
Perfurit, ac multum in medio sine nomine plebem,	
Fadamque Herbesumque subit Rhoetumque Abarimque, —	
Ignaros, Rhoetum vigilantem et cuncta videntem;	345
Sed magnum metuens se post cratera tegebat.	
Pectore in adverso totum cui comminus ense	
Condedit assurgenti, et multa morte recepti.	
Purpleam vomit ille animam, et cum sanguine mixta	
Vina refert moriens. Hic furto fervidus instat;	350
Iamque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem	
Deficere extremum et religatos rite videbat	
Carpere gramen equos : breviter quum talia Nisus	
— Sensit enim nimia caede atque cupidine ferri —	
„Absistamus : „ait „nam lux inimica propinquat.	355



„Poenarum exhaustum satis est, via facta per hostes“.  
 Multa virum solido argento perfecta relinquunt  
 Armaque, craterasque simul, pulchrosque tapetas.  
 Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis  
 Cingula, — Tiburti Remulo ditissimus olim 360  
 Quae mittit dona, hospitio quum iungeret absens,  
 Caedicus; ille suo moriens dat habere nepoti;  
 Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti;  
 Haec rapit atque humeris nequidquam fortibus aptat;  
 Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram 365  
 Induit. Excedunt castris, et tuta capessunt.  
 Interea praemissi equites ex urbe Latina,  
 Cetera dum legio campis instructa moratur,  
 Ibant et Turno regi responsa ferebant,  
 Ter centum, scutati omnes, Volcente magistro; 370  
 Iamque propinquabant castris muroque subibant.  
 Quum procul hos laevo flectentes limite cernunt,  
 Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra  
 Prodidit immemorem radiisque adversa refulsit.  
 Haud temere est visum: conclamat ab agmine Volcens 375  
 „State, viri! Quae causa viae, quive estis in armis,  
 „Quove tenetis iter?“ Nihil illi tendere contra;  
 Sed celerare fugam in silvis et fidere nocti.  
 Obiiciunt equites sese ad divortia nota  
 Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant. 380  
 Silva fuit, late dumis atque illic nigra  
 Horrida, quam densi complebant undique sentes,  
 Rara per occultos lucebat semita calles.  
 Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda  
 Impediunt, fallitque timor regione viarum. 385  
 Nisus abit; iamque imprudens evaserat hostes  
 Atque locos, qui post Albae de nomine dicti  
 Albani, tum rex stabula alta Latinus habebat;  
 Ut stetit et frustra absentem respexit amicum.  
 „Euryale infelix, qua te regione reliqui? 390  
 „Quave sequar, rursus perplexum iter omne revolvens  
 „Fallacis silvae?“ Simul et vestigia retro  
 Observata legit, dumisque silentibus errat.  
 Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.  
 Nec longum in medio tempus, quum clamor ad aures 395  
 Pervenit ac videt Euryalum, quem iam manus omnis  
 Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,  
 Oppressum rapit et conantem plurima frustra.  
 Quid faciat? qua vi iuvenem, quibus audeat armis  
 Eripere? an sese medios moriturus in hostes  
 Inferant, et pulchram properet per vulnera mortem? 400  
 Ocius adducto torquens hastile lacerto,

Suspiciens altam ad Lunam, sic voce precatur :  
 „Tu, dea, tu praesens nostro succurre labori,  
 „Astrorum decus et nemorum Latonia custos! 405  
 „Si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris  
 „Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,  
 „Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi;  
 „Hunc sine me turbare globum, et rege tela per auras!“  
 Dixerat, et toto connixus corpore ferrum 410  
 Coniicit. Hasta volans noctis diverberat umbras,  
 Et venit aversi in tergum Sulmonis, ibique  
 Frangitur ac fissio transit praecordia ligno.  
 Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen  
 Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat. 415  
 Diversi circumspiciunt : hoc acrior idem  
 Ecce aliud summa telum librabat ab aure.  
 Dum trepidant, it hasta Tago per tempus utrumque,  
 Stridens, traicectoque haesit tepefacta cerebro.  
 Sacvit atrox Volcens, nec tali conspicit usquam 420  
 Auctorem, nec quo se ardens immittere possit.  
 „Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas  
 „Persolves amborum“ inquit; simul ense recluso  
 Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens,  
 Conclamat Nisus, nec se celare tenebris 425  
 Amplius aut tantum potuit perferre dolorem.  
 „Me, me, adsum qui feci, in me convertite ferrum,  
 „O Rutuli! mea fraus omnis; nihil iste nec ausus,  
 „Nec potuit : coelum hic et conscia sidera testor;  
 „Tantum infelicem nimium dilexit amicum“ 430  
 Talis dicta dabat; sed viribus ensis adactus  
 Transabiit costas, et pectora candida rumpit.  
 Volvitur Euryalus leto, pulchrosque per artus  
 It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit :  
 Purpureus veluti quum flos, succisus aratro, 435  
 Languescit moriens, lassove papavera collo  
 Demiserit caput, pluvia quum forte gravantur.  
 At Nisus.ruit in medios, solumque per omnes  
 Volcentem petit, in solo Volcente moratur. 439  
 Quem circum glomerati hostes hinc comminus atque hinc  
 Proturbant. Instat non secius ac rotat ensem 441  
 Fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore  
 Condidit adverso, et moriens animam abstulit hosti.



# Q. Horatius Flaccus

(65—8 l.e.n.)

## SATIRAE

### LIBER PRIMUS

#### IX

#### Plicicosus

Ibam forte via sacra, sicut meus est mos  
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis.  
Accurrit quidam notus mihi nomine tantum  
Arreptaque manu : „Quid agis, dulcissime rerum? —  
Suaviter, ut nunc est, inquam, et cupio omnia, quae vis“.  
Cum adsectaretur : „Numquid vis?“ occupo. At ille :  
„Noris nos, inquit, docti sumus.“ Hic ego : „Pluris

5

Hoc, inquam, mihi cris". Misere discedere quaerens,  
 Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem  
 Dicere nescio quid puero, cum sudor ad imos 10  
 Manaret talos. „O te, Bolane, cerebri  
 Felicem", aiebam tacitus, cum quidlibet ille  
 Garriret, vicos, urbem laudaret. Ut illi  
 Nil respondebam: „Misere cupis, inquit, abire;  
 Iam dudum video, sed nil agis; usque tenebo, 15  
 Persequar. Hinc quo nunc iter est tibi? — Nil opus est te  
 Circumagi: quemdam volo visere non tibi notum;  
 Trans Tiberim longe cubat is prope Caesaris hortos. —  
 Nil habeo quod agam et non sum piger; usque sequar te.“  
 Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus, 20  
 Cum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:  
 „Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,  
 Non Varium facies; nam quis me scribere plures  
 Aut citius possit versus? quis membra movere  
 Mollius? invideat quod et Hermogenes ego canto.“ 25  
 Interpellandi locus hic erat: „Est tibi mater,  
 Cognati, quis te salvo est opus? — Haud mihi quisquam,  
 Omnes composui. — Felices, nunc ego resto.  
 Confice! namque instat fatum mihi triste, Sabella  
 Quod puero cecinit divina mota anus urna: 30  
 Hunc neque dira venena nec hosticus auferet ensis  
 Nec laterum dolor aut tussis nec tarda podagra;  
 Garrulus hunc quando consumet cumque; loquaces,  
 Si sapiat, vitet simul atque adoleverit aetas.“  
 Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei 35  
 Praeterita, et casu tunc respondere vadato  
 Debebat, quod ni fecisset, perdere litem.  
 „Si me amas, inquit, paullum hic ades — Inteream, si  
 Aut valeo stare aut novi civilia iura, 40  
 Et propero quo scis. — Dubius sum quid faciam, inquit  
 Tene relinquam an rem. — Me, sodes — „Non faciam“ ille,  
 Et praecedere coepit; ego, ut contendere durum  
 Cum victore, sequor. „Maecenas quomodo tecum?“  
 Hinc repetit: „paucorum hominum et mentis bene sanae, 45  
 Nemo dexterius fortuna est usus. Haberes  
 Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,  
 Hunc hominem velles si tradere; dispeream, ni  
 Submosses omnes. — Non isto vivimus illic  
 Quo tu rere modo; domus hac nec purior ulla est  
 Nec magis his aliena malis; nil mi officit inquam, 50  
 Ditiior hic aut est quia doctior; est locus uni  
 Cuique suus. — Magnum narras, vix credibile. — Atqui  
 Sic habet. — Accendis quare cupiam magis illi  
 Proximus esse. — Velis tantummodo; quae tua virtus, 55



Expugnabis, et est qui vinci possit eoque  
 Difficiles aditus primos habet. — Haud mihi dero :  
 Muneribus servos corrumpam; non, hodie si  
 Exclusus fuero, desistam, tempora quaeram,  
 Occurram in triviis, deducam. „Nil sine magno  
 Vita labore dedit mortalibus“. Haec dum agit, ecce 60  
 Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum  
 Qui pulchre nosset. Consistimus. „Unde venis et  
 Quo tendis?“ rogat et respondet. Vellere coepi  
 Et prensare manu lentissima bracchia, nutans,  
 Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsu 65  
 Ridens dissimulare, meum iecur urere bilis.  
 „Certe nescio quid secreto velle loqui te  
 Aiebas mecum. — Memini bene, sed meliore  
 Tempore dicam; hodie tricesima sabbata; vin tu  
 Curtis Iudaeis oppedere? — Nulla mihi, inquam,  
 Religio est. — At mi; sum paullo infirmior, unus  
 Multorum; ignosces, alias loquar.“ Huncine solem  
 Tam nigrum surrexe mihi: fugit improbus ac me  
 Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi  
 Adversarius et: „Quo tu turpissime?“ magna 75  
 Inclamat voce, et: „Licet antestari?“; ego vero  
 Oppono auriculam; rapit in ius; clamor utrimque,  
 Undique concursus. Sic me servavit Apollo.

## X

## Idei literare

Nempe incomposito dixi pede currere versus  
 Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est  
 Ut non hoc fateatur? at idem, quod sale multo  
 Urbem defricuit, charta laudatur eadem.  
 Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera; nam sic 5  
 Et Laberi mimos ut pulchra poemata mirer.  
 Ergo non satis est risu diducere rictum  
 Auditoris; et est quaedam tamen hic quoque virtus.  
 Est brevitatem opus, ut currat sententia neu se  
 Impediat verbis lassas onerantibus aures, 10  
 Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,  
 Defendente vicem modo rhetoris atque poetae,  
 Interdum urbani parcentis viribus atque  
 Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri

- Fortius et melius magnas plerumque secat res. 15  
 Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,  
 Hoc stabant, hoc sunt imitandi, quos neque pulcher  
 Hermogenes unquam legit neque simius iste  
 Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.
- At magnum fecit, quod verbis Graece Latinis 20  
 Miscuit. — O seri studiorum, quine putetis  
 Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti  
 Contigi? — At sermo lingua concinnus utraque  
 Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est. —  
 Cum versus facias, te ipsum percontor, an et cum 25  
 Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?  
 Scilicet oblitus patriaeque patrisque Latini,  
 Cum Pedius causas exsudet Poplicola atque  
 Corvinus, patriis intermiscere petita  
 Verba foris malis, Canusini more bilinguis? 30  
 Atque ego cum graecos facerem, natus mare citra  
 Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,  
 Post mediam noctem visus, cum somnia vera :  
 „In silvam non ligna feras insanius ac si  
 Magnas Graecorum malis implere catervas.“ 35
- Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque  
 Defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,  
 Quae neque in aede sonent certantia indice Tarpa  
 Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
- Arguta meretrice potes Davoque Chremeta 40  
 Eludente senem comis garrere libellos  
 Unus vivorum Fundani; Polio regum  
 Facta canit pede ter percusso; forte epos acer,  
 Ut nemo, Varius ducit; molle atque facetum
- Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae. 45  
 Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino  
 Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,  
 Inventore minor, neque ego illi detrahere ausim  
 Haerentem capiti cum multa laude coronam.
- At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem 50  
 Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quaeso,  
 Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?  
 Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?  
 Non ridet versus Enni gravitate minores,
- Cum de se loquitur non ut maiore reprensus? 55  
 Quid vetat et nosmet Lucili scripta legentes  
 Quaerere, num illius, num rerum dura negarit  
 Versiculos natura magis factos et euntes  
 Mollius ac siquis pedibus quid claudere senis,  
 Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos  
 Ante cibum versus, totidem cenatus? Etrusci 60



Quale fuit Cassi rapido ferventius anni  
 Ingenium, capsis quem fama est esse librisque  
 Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,  
 Comis et urbanus, fuerit limatior idem 65  
 Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor  
 Quamque poetarum seniorum turba; sed ille,  
 Si foret hoc nostrum fato delapsus in aevum,  
 Detereret sibi multa, recideret omne quod ultra  
 Perfectum traheretur et in versu faciendo 70  
 Saepe caput scaberet vivos et roderet ungues.

## LIBER SECUNDUS

### V

#### Captatorii de testamento

(Ulixes, Tiresias)

U. Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata petenti  
 Responde, quibus amissas reparare queam res  
 Artibus atque modis. Quid rides? — T. Iamne doloso  
 Non satis est Ithacam revehi patriosque Penates  
 Adspicere? — U. O nulli quicquam mentite, vides ut 5  
 Nudus inopsque domum redeam te vate, neque illic  
 Aut apotheca procis intacta est aut pecus; atque  
 Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est. —  
 T. Quando pauperiem missis ambagibus horres,  
 Accipe qua ratione queas ditescere: turdus 10  
 Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc  
 Res ubi magna nitet domino sene; dulcia poma  
 Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores  
 Ante Larem gustet venerabilior Lare dives;  
 Qui quamvis periurus erit, sine gente, cruentus 15  
 Sanguine fraterno, fugitivus, ne tamen illi  
 Tu comes exterior, si postulet, ire recuses. —  
 I. Utne tegam spurco Damae latus? haud ita Troiae  
 Me gessi, certans semper melioribus — T. Ergo  
 Pauper eris — U. Fortem hoc animum tolerare iubebo 20  
 Et quondam maiora tuli; tu protinus, unde  
 Divitias aerisque ruam dic, augur, acervos. —

T. Dixi equidem et dico : captes astutus ubique Testamenta senum neu, si vafer unus et alter Insidiatorem praeroso fugerit hamo,	25
Aut spem deponas aut artem inlusus omittas. Magna minorve foro si res certabitur olim, Vivet uter locuples sine gnatis, improbus, ultro Qui meliorem audax vocet in ius, illius esto Defensor, fama civem causaque priorem	30
Sperne, domi si gnatus erit fecundave coniunx. „Quinte,“ puta, „aut Publi (gaudent praenomine molles Auriculae) tibi me virtus tua fecit amicum; Ius anceps novi, causas defendere possum, Eripiet quivis oculos citius mihi quam te	35
Contemptum quassa nuce pauperet; haec mea cura est, Nequid tu perdas neu sis iocus“. Ire domum atque Pelliculam curare iube; si cognitor ipse, Persta atque obdura, seu rubra canicula findet Infantes statuas seu pingui tentus omaso	40
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes. „Nonne vides,“ aliquis cubito stantem prope tangens Inquiet, „ut patiens, ut amicis aptus, ut acer“? Plures adnabunt thynni et cetaria crescent. Sicui praeterea validus male filius in re	45
Pracclara sublatus aletur, ne manifestum Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem Adrepe officiosus, ut et scribare secundus Heres et, siquis casus puerum egerit Orco. In vacuum venias; perraro haec alea fallit.	50
Qui testamentum tradet tibi cumque legendum, Abnuere et tabulas a te remove memento, Sic tamen, ut limis rapias quid prima secundo Cera velit versu; solus multisne coheres, Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus	55
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem Captatorque dabit risus Nasica Corano. — U. Num furis? an prudens ludis me obscura canendo? — T. O Laertiade, quidquid dicam aut erit aut non; Divinare etenim magnus mihi donat Apollo. —	60
U. Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede. — T. Tempore quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto Demissum genus Aenea, tellure marique Magnus erit, forti nubet procera Corano Filia Nasicae, metuentis reddere soldum.	65
Tum gener hoc faciet : tabulas socero dabit atque Ut legat orabit; multum Nasica negatas Accipiet tandem et tacitus leget invenietque Nil sibi legatum praeter plorare suisque.. Illud ad haec iubeo; mulier si forte dolosa	70



Libertusve senem delirum temperet : illis Accedas socius, laudes, lauderis ut absens.	
Me sene, quod dicam factum est : anus improba Thebis	84
Ex testamento sic est elata : cadaver Unctum oleo largo nudis umeris tulit heres, Scilicet elabi si posset mortua ; credo, Quod nimium institerat viventi. Cautus adito, Neu desis operac neve immoderatus abundes ; Difficilem et morosum offendet garrulus, ultra	90
Non etiam sileas ; Davus sis comicus atque Stes capite obstipo multum similis metuenti ; Obsequio grassare ; mone, si increbruit aura, Cautus uti velet carum caput ; extrahe turba Oppositis umeris. Aures substringe loquaci.	95
Importunus amat laudari : donec „ohe iam“ Ad caelum manibus sublatis dixerit, urge et Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.	
Cum te servitio longo curaue levarit Et certum vigilans, quartae sit partis Ulixes,	100
Audieris, heres : „Ergo nunc Dama sodalis Nusquam est ? unde mihi tam fortem tamque fidelem ?“ Sparge subinde, et, si paullum potes, illacrimare ; est Gaudia prodentem voltum celare. Sepulcrum Permissum arbitrio sine sordibus extruc ; funus	105
Egregie factum laudet vicinia. Siquis Forte coheredum senior male tussiet, huic tu Dic, ex parte tua seu fundi sive domus sit Emptor, gaudentem nummo te addicere. Sed me Imperiosa trahit Proserpina ; vive valeque.	110

## VI

## Viața la țară

Hoc erat in votis : modus agri non ita magnus, Hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons Et paullum silvae super his foret. Auctius atque Di melius fecere. Bene est. Nil amplius oro Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.	5
Si neque maiorem feci ratione mala rem Nec sum facturus vitio culpave minorem ; Si veneror stultus nihil horum : „O si angulus ille Proximus accedat qui nunc denormat agellum ! O si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi Thesauro invento qui mercennarius agrum Illum ipsum mercatus aravit, dives amico	10

- Hercule!", si, quod adest, gratum iuvat, hac prece te oro :  
 Pingue pecus domino facias et cetera praeter  
 Ingenium, utque soles custos mihi maximus adsis! 15  
 Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,  
 Quid prius illustrem satiris Musaque pedestri?  
 Nec male me ambitio perdit nec plumbeus Auster  
 Autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.  
 Matutine pater, seu Iane libentius audis, 20  
 Unde homines operum primos vitaeque labores  
 Instituunt (sic dis placitum), tu carminis esto  
 Principium. Romae sponsorem me rapis: „Heia,  
 Ne prior officio quisquam respondeat, urge.“  
 Sive Aquilo radit terras seu bruma nivalem 25  
 Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.  
 Postmodo, quod mi obsit clare certumque locuto,  
 Luctandum in turba et facienda iniuria tardis.  
 „Quid vis, insane, et quas res agis“? improbus urget  
 Iratis precibus; „tu pulses omne quod obstat, 30  
 Ad Maecenatem memori si mente recurras?“  
 Hoc iuvat et melli est, non mentiar. At simul atras  
 Ventum est Esquilias, aliena negotia centum  
 Per caput et circa saliunt latus: „Ante secundam  
 Roscius orabat sibi adesses ad Putcal cras“; — 35  
 „De re communi scribae magna atque nova te  
 Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti“; —  
 „Imprimat his cura Maecenas signa tabellis“;  
 Dixeris: „Experiar“: „Si vis, potes“, addit et instat.  
 Septimus octavo propior iam fugerit annus  
 Ex quo Maecenas me coepit habere suorum 40  
 In numero, dumtaxat ad hoc quem tollere raeda  
 Vellet iter faciens et cui concredere nugas  
 Hoc genus: „Hora quota est?“, „Thraex est Gallina Syro par?“  
 „Matutina parum cautos iam frigora mordent“, 45  
 Et quae rimosa bene deponuntur in aure.  
 Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam  
 Invidiae noster. Ludos spectaverat una,  
 Luserat in campo: „Fortunae filius!“ omnes.  
 Frigidus a rostris manat per compita rumor; 50  
 Quicumque obvius est, me consulit: „O bone (nam te  
 Scire, deos quoniam proprius contingis, oportet),  
 Numquid de Dacis audisti? — Nil equidem. — Ut tu  
 Semper eris derisor! — At omnes di exagitent me,  
 Si quicquam! — „Quid? militibus promissa Triquetra 55  
 Praedia Cacsar an est Itala tellure daturus?“  
 Iurantem me scire nihil mirantur, ut unum  
 Scilicet egregii mortalem altique silenti.  
 Perditur haec inter misero lux non sine votis;  
 „O rus, quando ego te adspiciam, quandoque licebit 60



Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis  
 Ducere sollicitae iucunda obliviae vitae?";  
 „O quando faba Pythagorae cognata simulque  
 Uncta satis pingui ponentur holuscula lardo?" 65  
 O noctes cenaequae deum, quibus ipse meique  
 Ante Larem proprium vescor vernasque procaces  
 Pasco libatis dapibus! prout cuique libido est,  
 Siccat inaequales calices conviva solutus  
 Legibus insanis, seu quis capit acria fortis  
 Pocula seu modicis uvescit laetius. Ergo 70  
 Sermo oritur, non de villis domibusve alienis  
 Nec male necne Lepos saltet, sed, quod magis ad nos  
 Pertinet et nescire malum est, agitamus utrumne  
 Divitiis homines an sint virtute beati,  
 Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos, 75  
 Et quae sit natura boni summumque quid eius.  
 Cervius haec inter vicinus garrat aniles  
 Ex re fabellas. Siquis nam laudat Arelli  
 Sollicitas ignarus opes, sic incipit: „Olim  
 Rusticus urbanum murem mus paupere fertur 80  
 Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,  
 Asper et attentus quaesitis, ut tamen artum  
 Solveret hospitii animum. Quid multa? neque ille  
 Sepositi ciceris nec longae invidit avenae,  
 Aridum et ore ferens acinum semesaque lardi 85  
 Frusta dedit, cupiens varia fastidia cena  
 Vincere tangentis male singula dente superbo,  
 Cum pater ipse domus palea porrectus in horna  
 Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.  
 Tandem urbanus ad hunc „Quid te iuvat, inquit, amice, 90  
 „Praerupti nemoris patientem vivere dorso?  
 „Vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?  
 „Carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando  
 „Mortales animas vivunt sortita, neque ulla est  
 „Aut magno aut parvo leti fuga; quo, bone, circa,  
 „Dum licet, in rebus iucundis vive beatus, 95  
 „Vive memor, quam sis aevi brevis“. Haec ubi dicta  
 Agrestem pepulere, domo levis exsilit; inde  
 Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes  
 Moenia nocturni subreperere. Iamque tenebat 100  
 Nox medium caeli spatium, cum ponit uterque  
 In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco  
 Tincta super lectos canderet vestis eburnos  
 Multaque de magna superessent fercula cena  
 Quae procul exstructis inerant hesternae canistris. 105  
 Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit  
 Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes  
 Continuatque dapes, nec non verniliter ipsis

Fungitur officiis, praelambens omne quod adfert.  
 Ille cubans gaudet mutata sorte bonisque 110  
 Rebus agit laetum convivam, cum subito ingens  
 Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.  
 Currere per totum pavidi conclave magisque  
 Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis  
 Personuit canibus. Tum rusticus „Haud mihi vita 115  
 „Est opus hac“, ait, et „Valeas! me silva cavusque  
 „Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.“

## CARMINA

### LIBER PRIMUS

#### III

#### Ad navem vehementem Vergilium Athenas

Sic te diva potens Cypri,  
 Sic fratres Helenae, lucida sidera,  
 Ventorumque regat pater  
 Obstrictis aliis praeter Iapyga, 5  
 Navis, quae tibi creditum  
 Debes Vergilium, finibus Atticis  
 Reddas incolumem, precor,  
 Et serves animae dimidium meae.  
 Illi robur et aes triplex  
 Circa pectus erat, qui fragilem truci 10  
 Commisit pelago ratem  
 Primus, nec timuit praecipitem Africum  
 Decertantem Aquilonibus  
 Nec tristes Hyadas nec rabiem Noti,  
 Quo non arbiter Hadriae 15  
 Maior, tollere seu ponere volt freta.  
 Quem mortis timuit gradum,  
 Qui siccis oculis monstra natantia,



Qui vidit mare turbidum et Infames scopulos Acroceraunia?	20
Nequicquam deus absceidit Prudens Oceano dissociabili Terras, si tamen impiae Non tangenda rates transiliunt vada.	
Audax omnia perpeti Gens humana ruit per vetitum nefas; Audax Iapeti genus	25
Ignem fraude mala gentibus intulit; Post ignem aetheria domo Subductum macies et nova febrium Terris incubuit cohors	30
Semotique prius tarda necessitas Leti corripuit gradum. Expertus vacuum Daedalus aera Pennis non homini datis;	
Perrupit Acheronta Herculeus labor. Nil mortalibus ardui est;	35
Caelum ipsum petimus stultitia neque Per nostrum patimur scelus Iracunda Iovem ponere fulmina.	40

## IV

## Ad Sestium

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni Trahuntque siccas machinae carinas, Ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni Nec prata canis albicant pruinis.	
Iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes	5
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum Volcanus ardens urit officinas. Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto Aut flore, terrae quem ferunt solutae;	
Nunc et in umbrosis Fauno decet inmolare lucis, Seu poscat agna sive malit haedo.	10
Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres. O beate Sesti, Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.	15
Iam te premet nox fabulaeque Manes Et domus exilis Plutonia, quo simul mearis, Nec regna vini sortiere talis...	

## IX

## Ad Thaliarchum

Vides ut alta stet nive candidum  
 Soracte, nec iam sustineant onus  
 Silvae laborantes geluque  
 Flumina constiterint acuto.

Dissolve frigus ligna super foco 5  
 Large reponens atque benignius  
 Deprome quadrimum Sabina,  
 O Thaliarche, merum diota.

Permitte divis cetera; qui simul 10  
 Stravere ventos aequore fervido  
 Deproeliantes, nec cupressi  
 Nec veteres agitantur orni.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere et 15  
 Quem fors dierum cumque dabit lucro  
 Appone nec dulces amores  
 Sperne puer neque tu choreas,

Donec virenti canities abest  
 Morosa. Nunc et campus et areae  
 Lenesque sub noctem susurri  
 Composita repetantur hora; 20

Nunc et latentis proditor intimo  
 Gratus puellae risus ab angulo  
 Pignusque dereptum lacertis  
 Aut digito male pertinaci.

## XIV

## Ad rempublicam

O navis, referent in mare te novi  
 Fluctus! o quid agis? fortiter occupa  
 Portum. Nonne vides ut  
 Nudum remigio latus

Et malus celeri saucius Africo  
 Antemnaeque gemant ac sine funibus  
 Vix durare carinae  
 Possint imperiosius



Aequor? non tibi sunt integra lintea, Non di, quos iterum pressa voces malo.	10
Quamvis pontica pinus, Silvae filia nobilis,	
lactes et genus et nomen inutile, Nil pictis timidus navita puppibus	
Fidit. Tu, nisi ventis	15
Debes ludibrium, cave.	
Nuper sollicitum quae mihi taedium, Nunc desiderium curaque non levis,	
Interfusa nitentes	
Vites aequora Cycladas.	20

## LIBER SECUNDUS

## VI

## Ad Septimium

Septimi, Gades aditure mecum et Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et Barbaras Syrtes, ubi Maura semper Aestuat unda,	
Tibur Argeo positum colono	5
Sit meae sedes utinam senectae, Sit modus lasso maris et viarum Militiaeque!	
Unde si Parcae prohibent iniquae, Dulce pellitis ovibus Galaesi Flumen et regnata petam Laconi Rura Phalantho.	10
Ille terrarum mihi praeter omnes Angulus ridet ubi non Hymetto Mella decedunt viridique certat	15
Baca Venafro,	
Ver ubi longum tepidasque praebet Iuppiter brumas et amicus Aulon Fertili Baccho minimum Falernis Invidet uvis.	20
Ille te mecum locus et beatae Postulant arces; ibi tu calentem Debita sparges lacrima favillam Vatis amici.	

## XV

**In cupiditatem divitum**

Iam pauca aratro iugera regiae  
 Moles relinquent, undique latius  
 Extenta visentur Lucrino  
 Stagna lacu platanusque caelebs 5  
 Evincet ulmos; tum violaria et  
 Myrtus et omnis copia narium  
 Spargent olivetis odorem  
 Fertilibus domino priori;  
 Tum spissa ramis laurea fervidos  
 Excludet ictus. Non ita Romuli 10  
 Praescriptum et intonsi Catonis  
 Auspiciis veterumque norma.  
 Privatus illis census erat brevis,  
 Commune magnum, nulla decempedis  
 Metata privatis opacam 15  
 Porticus excipiebat Arcton,  
 Nec fortuitum spernere caespitem  
 Leges sinebant, oppida publico  
 Sumptu iubentes et deorum  
 Templâ novo decorare saxo. 20

## LIBER TERTIUS

## III

**Ad Caesarem Augustum**

Iustum et tenacem propositi virum  
 Non civium ardor prava iubentium  
 Non voltus instantis tyranni  
 Mente quati solida neque Auster,  
 Dux inquieti turbidus Hadriae, 5  
 Nec fulminantis magna manus Iovis;  
 Si fractus illabatur orbis,  
 Impavidum ferient ruinae.  
 Hac arte Pollux et vagus Hercules  
 Ensis arces attigit igneas, 10  
 Quos inter Augustus recumbens  
 Purpureo bibet ore nectar.



Hac te merentem, Bacche pater, tuae Vexere tigres, indocili iugum Collo trahentes, hac Quirinus	15
Martis equis Acheronta fugit, Gratum elocuta consiliantibus Iunone divis: „Ilion, Ilion Fatalis incestusque iudex Et mulier peregrina vertit	20
In pulverem, ex quo destituit deos Mercede pacta Laomedon, mihi Castaeque damnatum Minervae Cum populo et duce fraudulentato.	25
Iam nec Lacaena splendet adulterae Famosus hospes nec Priami domus Periura pugnaces Achivos Hectoreis opibus refringit	30
Nostrisque ductum seditionibus Bellum resedit. Protinus et graves Iras et invisum nepotem, Troica quem peperit sacerdos,	35
Marti redonabo; illum ego lucidas Inire sedes, discere nectaris Sucos et adscribi quietis Ordinibus patiar deorum.	40
Dum longus inter saeviat Ilion Romamque pontus, qualibet exsules In parte regnanto beati, Dum Priami Paridisque busto	45
Insultet armentum et catulos ferae Celent inultae, stat Capitolium Fulgens triumphatisque possit Roma ferox dare iura Medis.	50
Horrenda late nomen in ultimas Extendat oras, qua medius liquor Secernit Europen ab Afro, Qua tumidus rigat arva Nilus, Aurum irrepertum et sic melius situm, Cum terra celat, spernere fortior	55
Quam cogere humanos in usus Omne sacrum rapiante dextra, Quicumque mundo terminus obstitit Hunc tanget armis, visere gestiens, Qua parte debacchentur ignes, Qua nebulae pluviique rores.	

- Sed bellicosis fata Quiritibus  
 Hac lege dico, ne nimium pii  
 Rebusque fidentes avitae  
 Tecta velint reparare Troiae : 60
- Troiae renascens alite lugubri  
 Fortuna tristi clade iterabitur,  
 Ducente victrices catervas  
 Coniuge me Iovis et sorore.
- Ter si resurgat murus aeneus 65  
 Auctor Phoebo, ter pereat meis  
 Excisus Argivis, ter uxor  
 Capta virum puerosque ploret :
- Non hoc iocosae conveniet lyrae;  
 Quo, Musa, tendis? desine pervicax 70  
 Referre sermones deorum et  
 Magna modis tenuare parvis.

## XIII

**Ad fontem Bandusiae**

- O fons Bandusiae, splendidior vitro,  
 Dulci digne mero non sine floribus,  
 Cras donaberis haedo,  
 Cui frons turgida cornibus  
 Primis et venerem et proelia destinat. 5  
 Frustra : nam gelidos inficiet tibi  
 Rubro sanguine rivos  
 Lascivi suboles gregis.
- Te flagrantis atrox hora Caniculae  
 Nescit tangere; tu frigus amabile 10  
 Fessis vomere tauris  
 Praebes et pecori vago.
- Fies nobilium tu quoque fontium,  
 Me dicente cavis impositam ilicem  
 Saxis, unde loquaces 15  
 Lymphae desiliunt tuae.

## XXIV

**In vitia saeculi**

- Intactis opulentior  
 Thesauris Arabum et divitis Indiae,  
 Caementis licet occupes  
 Tyrrenum omne tuis et mare Apulicum :



Si figit adamantinos	5
Summis verticibus dira Necessitas	
Clavos, non animum metu,	
Non mortis laqueis expedies caput.	
Campestres melius Scythae,	
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,	10
Vivunt et rigidi Getae	
Inmetata quibus iugera liberas	
Fruges et Cererem ferunt,	
Nec cultura placet longior annua	
Defunctumque laboribus	15
Aequali recreat sorte vicarius.	
Illic matre carentibus	
Privignis mulier temperat innocens	
Nec dotata regit virum	
Coniunx nec nitido fidit adultero;	20
Dos est magna parentium	
Virtus et metuens alterius viri	
Certo foedere castitas,	
Et peccare nefas aut pretium est mori,	
O quisquis volet impias	25
Caedes et rabiem tollere civicam,	
Si quaeret PATER VRBIVM	
Subscribi statuis, indomitam audeat	
Refrenare licentiam,	
Clarus postgenitis; quatenus, heu nefas!	30
Virtutem incolumem odimus,	
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.	
Quid tristes querimoniae,	
Si non supplicio culpa reciditur,	
Quid leges sine moribus	35
Vanae proficiunt, si neque fervidis	
Pars inclusa caloribus	
Mundi nec Boreae finitimum latus	
Durataeque solo nives	
Mercatorem abigunt, horrida callidi	40
Vincunt aequora navitae?	
Magnum pauperies opprobrium iubet	
Quidvis et facere et pati	
Virtutisque viam deserit arduae.	
Vel nos in Capitolium,	45
Quo clamor vocat et turba faventium,	
Vel nos in mare proximum	
Gemmas et lapides, aurum et inutile,	
Summi materiem mali,	
Mittamus, scelerum si bene paenitet.	50
Eradenda cupidinis	
Pravi sunt elementa et tenerae nimis	

Mentes asperioribus Formandae studiis. Nescit equo rudis Haerere ingenuus puer	55
Venarique timet, ludere doctior Seu Graeco iubeas trocho Seu malis vetita legibus alea, Cum periura patris fides	60
Consortem socium fallat et hospites Indignoque pecuniam Heredi properet. Scilicet improbae Crescunt divitiae; tamen Curtae nescio quid semper abest rei.	

## XXX

**Epilogus (ad Melpomenem)**

Exegi monumentum aere perennius Regalique situ pyramidum altius, Quod non imber edax, non Aquilo impotens Possit diruere aut innumerabilis Annorum series et fuga temporum.	5
Non omnis moriar multaue pars mei Vitabit Libitinam; usque ego postera Crescam laude recens, dum Capitolium Scandet cum tacita virgine pontifex.	10
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus Et qua pauper aquae Daunus agrestium Regnavit populorum ex humili potens, Princeps Aeolium carmen ad Italos Deduxisse modos. Sume superbiam Quaesitam meritis et mihi Delphica Lauro cinge volens, Melpomene, comam.	15

## LIBER QUARTUS

## III

**Ad Melpomenem**

Quem tu, Melpomene, semel  
Nascentem placido lumine videris,  
Illum non labor Isthmius



Clarabit pugilem, non equus impiger Curru ducet Achaico	5
Victorem, neque res bellica Deliis Ornatum foliis' ducem, Quod regum tumidas contuderit minas, Ostendet Capitolio;	
Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt Et spissae nemorum comae Fingent Aeolio carmine nobilem.	10
Romae principis urbium Dignatur suboles inter amabiles Vatum ponere me choros,	15
Et iam dente minus mordeor invido. O testudinis aureae Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas, O mutis quoque piscibus	
Donatura cycni, si libeat, sonum, Totum muneris hoc tui est, Quod monstro digito praetereuntium Romanae fidicen lyrae;	20
Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.	

## EPISTULAE

### LIBER PRIMUS

#### IV

#### Ad Albium Tibullum

Albi, nostrorum sermonum candide iudex, Quid nunc te dicam facere in regione Pedana? Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat, An tacitum silvas inter reptare salubres, Curantem quidquid dignum sapiente bonoque est?	5
--	---

Non tu corpus eras sine pectore : di tibi formam,  
 Di tibi divitias dederunt artemque fruendi.  
 Quid voveat dulci nutricula maius alumno  
 Qui sapere et fari possit quae sentiat et cui  
 Gratia, fama, valetudo contingat abunde, 10  
 Et mundus victus, non deficiente crumina?  
 Inter spem curamque, timores inter et iras  
 Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.  
 Grata superveniet quae non sperabitur hora.  
 Me pinguem et nitidum bene curata cute vises, 15  
 Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

## VII

## Ad Maecenatem

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum  
 Sextilem totum mendax desideror. Atqui  
 Si me vivere vis sanum recteque valentem,  
 Quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,  
 Maecenas, veniam, dum ficus prima calorque  
 Dissignatorem decorat lictoribus atris, 5  
 Dum pueris omnis pater et matercula pallet,  
 Officiosaque sedulitas et opella forensis  
 Adducit febres et testamenta resignat.  
 Quodsi bruma nives Albanis illinet agris, 10  
 Ad mare descendet vates tuus et sibi parcat  
 Contractusque leget; te, dulcis amice, reviset  
 Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.  
 Non quo more piris vesci Calaber iubet hospes  
 Tu me fecisti locupletem : „Vescere, sodes. — 15  
 Iam satis est — At tu quantum vis tolle. — Benigne. —  
 Non invisā ferēs pueris munuscula parvis. —  
 Tam teneor dono, quam si dimittar onustus. —  
 Ut libet; haec porcis hodie comedenda relinques“. 20  
 Prodigus et stultus donat quae spernit et odit;  
 Haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis.  
 Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus,  
 Nec tamen ignorat quid distent aera lupinis;  
 Dignum praestabo me etiam pro laude merentis. 25  
 Quodsi me noles usquam discedere, reddes  
 Forte latus, nigros angusta fronte capillos,  
 Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum.  
 Forte per angustam tenuis vulpecula rimam 30  
 Repserat in cumeram frumenti pastaque rursus



Ire foras pleno tendebat corpore frustra ;  
 Cui mustela procul : „Si vis, ait, effugere istinc,  
 Macra cavum repetes artum, quem macra subisti“.  
 Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno ;  
 Nec somnum plebis laudo satur altitium nec  
 Otia divitiis Arabum liberrima muto. 35

Saepe verecundum laudasti rexque paterque  
 Audisti coram nec verbo parcius absens,  
 Inspice, si possum donata reponere laetus.  
 Haud male Telemachus, proles patientis Ulixi : 40  
 „Non est aptus equis Ithace locus, ut neque planis  
 Porrectus spatiis nec multae prodigus herbae,  
 Atride ; magis apta tibi tua dona relinquam“.  
 Parvum parva decent : mihi iam non regia Roma,  
 Sed vacuum Tibur placet aut imbelle Tarentum. 45

Strenuus et fortis causisque Philippus agendis  
 Clarus, ab officiis octavam circiter horam  
 Dum redit atque foro nimium distare Carinas  
 Eam grandis natu queritur, conspexit, ut aiunt,  
 Adrasum quemdam vacua tonsoris in umbra 50  
 Cultello proprios purgantem leniter ungues.  
 „Demetri,“ puer hic non laeve iussa Philippi  
 Accipiebat, „abi, quaere et refer, unde domo, quis,  
 Cuius fortunae, quo sit patre quove patrono.“  
 It, redit et narrat, Volteium nomine Menam, 55  
 Praeconem, tenui censu, sine crimine, notum,  
 Et properare loco et cessare et quaerere et uti,  
 Gaudentem parvisque sodalibus et lare certo  
 Et ludis et post decisa negotia campo.  
 „Scitari libet ex ipso quodcumque refers ; dic,  
 Ad cenam veniat. Non sane credere Mena,  
 Mirari secum tacitus. Quid multa ? „Benigne“  
 Respondet. „Neget ille mihi ? — Negat improbus et te  
 Neglegit aut horret.“ Volteium mane Philippus 65  
 Vilia vendentem tunicato scruta popello  
 Occupat et salvere iubet prior ; ille Philippo  
 Excusare laborem et mercennaria vincla,  
 Quod non mane domum venisset, denique quod non  
 Providisset eum.“ Sic ignovisse putato  
 Me tibi, si cenas hodie mecum. — Ut libet. — Ergo 70  
 Post nonam venies ; nunc i, rem strenuus auge.  
 Ut ventum ad cenam est, dicenda tacenda locutus  
 Tandem dormitum dimittitur. Hic ubi saepe  
 Occultum visus decurrere piscis ad hamum,  
 Mane cliens et iam certus conviva, iubetur 75  
 Rura suburbana indictis comes ire Latinis.  
 Impositus mannis arvum caelumque Sabinum  
 Non cessat laudare ; videt ridetque Philippus,

Et sibi dum requiem, dum risus undique quaerit, Dum septem donat sestertia, mutua septem Promittit, persuadet uti mercetur agellum.	80
Mercatur. Ne te longis ambagibus ultra Quam satis est morer, ex nitido fit rusticus atque Sulcos et vineta crepat mera, praeparat ulmos, Immoritur studiis et amore senescit habendi.	85
Verum ubi oves furto, morbo periere capellae, Spem mentita seges, bos est enectus arando, Offensus damnis media de nocte caballum Arripit iratusque Philippi tendit ad aedes. Quem simul adspexit scabrum intonsumque Philippus „Durus, ait, Voltei, nimis attentusque videris Esse mihi, — Pol, me miserum, patrone, vocares, Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen, Quod te per Genium dextramque deosque Penates Obsecro et obtestor, vitae me redde priori!“	95
Qui semel adspexit quantum dimissa petitis Praesent, mature redeat repetatque relicta; Metiri se quemque suo modulo, ac pede verum est.	

## EPISTULA AD PISONES DE ARTE POETICA

### Înnoirea vocabularului

In verbis etiam tenuis cautusque serendis Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit iunctura novum. Si forte necesse est Indiciis monstrare recentibus abdita rerum, et Fingere cinctutis non exaudita Cethegis	50
Continget dabiturque licentia sumpta pudenter, Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si Graeco fonte cadent parce detorta. Quid autem Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademptum Vergilio Varioque? ego cur, adquirere pauca	55
Si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni Sermonem patrium ditaverit et nova rerum Nomina protulerit? licuit semperque licebit Signatum praesente nota producere nomen. Ut silvae foliis pronos mutantur in annos, Prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas,	60



Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.  
 Debemur morti nos nostraque. Sive receptus  
 Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,  
 Regis opus, sterilisve diu palus aptaque remis 65  
 Vicinas urbes alit et grave sentit aratrum,  
 Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,  
 Doctus iter melius : mortalia facta peribunt,  
 Nedum sermonum stet honos et gratia vivax.  
 Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque 70  
 Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus  
 Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.

### Din condițiile cerute unei opere dramatice

Tu quid ego et populus mecum desideret audi,  
 Si plosoris eges aulaea manentis et usque  
 Sessuri donec cantor : „Vos plaudite“, dicat 155  
 Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,  
 Mobilibusque decor naturis dandus et annis.  
 Reddere qui voces iam scit puer et pede certo  
 Signat humum, gestit paribus colludere et iram  
 Colligit ac ponit temere et mutatur in horas. 160  
 Imberbus iuvenis tandem custode remoto  
 Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,  
 Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,  
 Utilium tardus provisor, prodigus aeris,  
 Sublimis cupidusque et amata relinquere pernix. 165  
 Conversis studiis aetas animusque virilis  
 Quaerit opes et amicitias, inservit honori,  
 Commisisse cavet quod mox mutare laboret.  
 Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod  
 Quaerit et inventis miser abstinet ac timet uti, 170  
 Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,  
 Dilator, spe longus, iners avidusque futuri,  
 Difficilis, querulus, laudator temporis acti  
 Se puero, castigator censorque minorum.  
 Multa ferunt anni venientes commoda secum, 175  
 Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles  
 Mandentur iuveni partes pueroque viriles ;  
 Semper in adiunctis aevoque morabimur aptis.  
 Aut agitur res in scaenis aut acta refertur.  
 Segnius irritant animos demissa per aurem 180  
 Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae  
 Ipse sibi tradit spectator ; non tamen intus  
 Digna geri promes in scaenam multaue tolles  
 Ex oculis, quae mox narret facundia praesens ;  
 Ne pueros coram populo Medea trucidet, 185

Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,  
 Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem;  
 Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Neve minor neu sit quinto productior actu  
 Fabula, quae posci vult et spectanda reponi;  
 Nec deus intersit nisi dignus vindice nodus  
 Inciderit, nec quarta loqui persona laboret.

### Util și frumos

Aut prodesse volunt aut delectare poetae  
 Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.  
 Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta  
 Percipiant animi dociles teneantque fideles. 335  
 Omne supervacuum pleno de pectore manat.  
 Ficta voluptatis causa sint proxima veris.  
 Ne quodcumque volet poscat sibi fabula credi  
 Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo. 340  
 Centuriae seniorum agitant expertia frugis,  
 Celsi praetereunt austeram poemata Ramnes:  
 Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci,  
 Lectorem delectando pariterque monendo;  
 Hic meret aera liber Sosis, hic et mare transit 345  
 Et longum noto scriptori prorogat aevum.

### Talent și muncă stăruitoare

O maior iuvenum, quamvis et voce paterna  
 Fingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum  
 Tolle memor, certis medium et tolerabile rebus  
 Recte concedi; consultus iuris et actor  
 Causarum mediocris abest virtute disertis 370  
 Messallae nec scit quantum Cascellius Aulus,  
 Sed tamen in pretio est; mediocribus esse poetis  
 Non homines, non di, non concessere columnae.  
 Ut gratas inter mensas symphonia discors  
 Et crassum unguentum et Sardo cum melle papaver 375  
 Offendunt, poterat duci quia cena sine istis:  
 Sic animis natum inventumque poema iuvandis,  
 Si paullum summo decessit, vergit ad imum.  
 Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,  
 Indoctusque pilae discive trochive quiescit, 380  
 Ne spissae risum tollant impune coronae:  
 Qui nescit versus tamen audet fingere? quidni?  
 Liber et ingenuus, praesertim census equestrem



- Summam nummorum vitioque remotus ab omni.  
Tu nihil invita dices faciesve Minerva. 385
- Natura fieret laudabile carmen an arte,  
Quaesitum est; ego nec studium sine divite vena  
Nec rude quid prosit video ingenium; alterius sic 410  
Altera poscit opem res et coniurat amice.  
Qui studet optatam cursu contingere metam,  
Multa tulit fecitque puer sudavit et alsit,  
Abstinuit Venere et vino, qui Pythia cantat  
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum, 415  
Nunc satis est dixisse: „Ego mira poemata pango;  
Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est,  
Et quod non didici sane nescire fateri.“

# *Sextus Propertius*

(cca. 50 — cca. 15 î.e.n.)

## ELEGIAE

### LIBER PRIMUS

#### VII

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae  
Armaque fraternae tristia militiae,  
Atque, ita sim felix, primo contendit Homero,  
Sint modo fata tuis mollia carminibus,  
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,  
Atque aliquid duram quaerimus in dominam;  
Nec tantum ingenio, quantum servire dolori  
Cogor et aetatis tempora dura queri.  
Hic mihi conteritur vitae modus, haec mea fama est,

5



Hinc cupio nomen carminis ire mei.	10
Me laudent doctae solum placuisse puellae, Pontice, et iniustas saepe tulisse minas :	
Me legat adsidue post haec neglectus amator, Et prosint illi cognita nostra mala.	
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu, Quod nolim nostros evoluisse deos,	15
Longe castra tibi, longe miser agmina septem Flebis in aeterno surda iacere situ,	
Et frustra cupies mollem componere versum, Nec tibi subiciet carmina serus Amor.	20
Tum me non humilem mirabere saepe poetam, Tunc ego Romanis praeferar ingeniis,	
Nec poterunt iuvenes nostro reticere sepulcro „Ardoris nostri magne poeta, iaces“.	
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu : Saepe venit magno fenore tardus Amor.	25

## LIBER SECUNDUS

## XII

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem, Nonne putas miras hunc habuisse manus? Is primum vidit sine sensu vivere amantes Et levibus curis magna perire bona.	
Idem non frustra ventosas addidit alas, Fecit et humano corde volare deum ; Scilicet alterna quoniam iactamur in unda. Nostraque non ullis permanet aura locis :	5
Et merito hamatis manus est armata sagittis, Et pharetra ex umero Gnosia utroque iacet ; Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem, Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.	10
In me tela manent, manet et puerilis imago : Sed certe pennas perdidit ille suas, Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam, Adsiduusque meo sanguine bella gerit.	15
Quid tibi iocundum est siccis habitare medullis? Si pudor est, alio traice tela tua ! Intactos isto satius temptare veneno : Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea.	20

Quam si perdidideris, quis erit qui talia cantet  
 (Haec mea musa levis gloria magna tua est).  
 Qui caput et digitos et lumina nigra puellae  
 Et canat ut soleant molliter ire pedes?

## LIBER TERTIUS

## III

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,  
 Bellorophonteï qua fluit umor equi,  
 Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,  
 Tantum operis, nervis hiscere posse meis,  
 Parvaque tam magnis admoram fontibus ora, 5  
 Unde pater sitiens Ennius ante bibit,  
 Et cecini Curios fratres et Horatia pila,  
 Regiaque AEmilia vecta tropaea rate,  
 Victrices moras Fabii pugnamque sinistra  
 Cannensem et versos ad pia vota deos, 10  
 Hannibalemque lares Romana sede fugantes,  
 Anseris et tutum voce fuisse Iovem:  
 Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus  
 Sic ait aurata nixus ad antra lyra:  
 „Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te 15  
 Carminis heroi tangere iussit opus?  
 Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti:  
 Mollia sunt parvis prata terenda rotis,  
 Ut tuus in scamno iactetur saepe libellus,  
 Quem legat expectans sola puella virum. 20  
 Cur tua praescripto sevecta est pagina gyro?  
 Non est ingenii cymba gravanda tui.  
 Alter remus aquas, alter tibi radat harenas:  
 Tutus eris: medio maxima turba mari est.“  
 Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno, 25  
 Qua nova muscoso semita facta solo est.,  
 Hic erat adfixis viridis spelunca lapillis,  
 Pendebantque cavis tympana pumicibus,  
 Orgia Musarum, et Sileni patris imago  
 Fictilis, et calami, Pan Tegeaeae, tui. 30  
 Et Veneris dominae volucres, mea turba, columbae  
 Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu,  
 Diversaeque novem sortitae rura puellae  
 Exercent teneras in sua dona manus.



Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis	35
Aptat, at illa manu textit utraque rosam.	
E quarum numero me contigit una dearum	
(Ut reor a facie, Calliopea fuit) :	
'Contentus niveis semper vectabere cynis,	
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.	40
Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu	
Flare nec Aonium tingere Marte nemus,	
Aut quibus in campis Mariano proelia signo	
Stent et Teutonicas Roma refringat opes,	
Barbarus aut Saebo perfusus sanguine Rhenus	45
Saucia maerenti corpora vectet aqua.	
Quippe coronatos alienum ad limen amantes	
Nocturnaeque canes ebria signa fugae,	
Ut per te clausas sciat excantare puellas,	
Qui volet austeros arte ferire viros.'	50
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis	
Ora Philetaea nostra rigavit aqua.	

*P. Ovidius Naso*

(43 i.e.n. — 17 e.n.)

**AMORES**

**LIBER PRIMUS**

**XV**

**Elogiul poeziei**

Quid mihi, Livor edax, ignavos obiicis annos,  
Ingeniique vocas carmen inertis opus?  
Non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,  
Praemia militiae pulverulenta sequi,  
Nec me verbosas leges ediscere, nec me  
Ingrato vocem prostituisse foro?  
Mortale est, quod quaeris, opus : mihi fama perennis  
Quaeritur, in toto semper ut orbe canar.

5



Vivet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide, Dum rapidas Simois in mare volvet aquas.	10
Vivet et Ascraeus, dum mustis uva tumebit, Dum cadet incurva falce resecta Ceres.	
Battiades semper toto cantabitur orbe; Quamvis ingenio non valet, arte valet.	
Nulla Sophocleo veniet iactura cothurno. Cum sole et luna semper Aratus erit.	15
Dum fallax servus, durus pater, improba lena Vivent, dum meretrix blanda, Menandros erit.	
Ennius arte carens, animosique Accius oris Casurum nullo tempore nomen habent.	20
Varronem primamque ratem quae nesciat aetas, Aureaque Aesonio terga petita duci?	
Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti, Exitio terras quum dabit una dies.	
Tityrus et fruges Aeneiaque arma legentur, Roma triumphati dum caput orbis erit.	25
Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma, Discentur numeri, culte Tibulle, tui.	
Gallus et Hesperii, et Gallus notus Eois, Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.	30
Ergo, quum silices, quum dens patientis aratri Depereant aevo, carmina morte carent.	
Cedant carminibus reges, regumque triumphii; Cedat et auriferi ripa beata Tagi.	
Vilia miretur vulgus: mihi flavus Apollo Pocula Castaliae plena ministret aquae, Sustineamque coma metuentem frigora myrtum, Atque a sollicito multus amante legar.	35
Pascitur in vivis Livor: post fata quiescit, Quum suus ex merito quemque tuetur honos	40
Ergo etiam, quum me supremus adederit ignis, Vivam, parsque mei multa superstes erit.	

## FASTI

## LIBER SECUNDUS

## Cei 306 Fabii

Idibus agrestis fumant altaria Fauni Hic, ubi discretas insula rumpit aquas.	
Haec fuit illa dies, in qua Veientibus armis (Ter centum Fabii ter cecidere duo)	195
Sununt gentiles arma professa manus. Una domus vires et onus susceperat Urbis, (Egreditur castris miles generosus ab isdem), E quis dux fieri quilibet aptus erat.	200
Carmentis portae dextra est vita proxima Iano : (Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet. Illa fama refert Fabios exisse trecentos : Porta vacat culpa, sed tamen omen habet).	
Ut celeri passu Cremeram tetigere rapacem, Turbidus hibernis ille fluebat aquis—	205
Castra loco ponunt : dstrictis ensibus ipsi Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt ; Non aliter, quam cum Libyca de rupe leones Invadunt sparsos, lata per arva greges,	210
Diffugiunt hostes, inhonestaque volnera tergo Accipiunt : Tusco sanguine terra rubet. Sic iterum, sic saepe cadunt, ubi vincere aperte Non datur, insidias armaque tecta parant.	
Campus erat, campi claudebant ultima colles Silvaque montanas oculere apta feras.	215
In medio paucos armentaue rara relinquunt, Cetera virgultis abdita turba latet. Ecce velut torrens undis pluvialibus auctus Aut nive, quae zephyro victa tepente fluit,	220
Per sata perque vias fertur, nec, ut ante solebat, Riparum clausas margine finit aquas : Sic Fabii vallem latis discursibus implent, Quodque vident, sternunt : nec metus alter inest.	
Quo ruitis, generosa domus? male creditis hosti. Simplex nobilitas, perfida tela cave! Fraude perit virtus. In apertos undique campos Prosiliunt hostes et latus omne tenent.	225

Quid faciant pauci contra tot milia fortes?	
Quidve, quod in misero tempore restet, adest?	230
Sicut aper longe silvis Laurentibus actus	
Fulmineo celeres dissipat ore canes,	
Mox tamen ipse perit, sic non moriuntur inulti,	
Vulneraque alterna dantque feruntque manu.	
Una dies Fabios ad bellum miserat omnes,	235
Ad bellum missos perdidit una dies.	
Ut tamen Herculeae superessent semina gentis,	
Credibile est ipsos consuluisse deos.	
Nam puer impubes et adhuc non utilis armis	
Unus de Fabia gente relictus erat :	240
Scilicet ut posses olim tu, Maxime, nasci,	
Cui res cunctando restituenda foret.	

## LIBER TERTIUS

### Anna Perenna

I dibus est Annae festum geniale Perennae	
Haud procul a ripis, advena Thybri, tuis	
Plebs venit ac virides passim disiecta per herbas	525
Potat, et accumbit cum pare quisque sua.	
Sub Iove pars durat, pauci tentoria ponunt,	
Sunt quibus e ramis frondea facta casa est ;	
Pars, ubi pro rigidis calamos statuere columnis,	
Desuper extentas imposuere togas.	530
Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,	
Quot sumant cyathos, ad numerumque bibunt .	
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos,	
Quae sit per calices facta Sibylla suos.	
Illic et cantant quidquid didicere theatris,	535
Et iactant faciles ad sua verba manus ;	
Et ducunt posito duras crateres choreas,	
Cultraeque diffusis saltat amica comis.	
Cum redeunt, titubant et sunt spectacula volgi,	
Et fortunatos obvia turba vocat.	540
Occurri nuper : visa est mihi digna relatu	
Pompa : senem potum pota trahebat anus.	
Quae tamen haec dea sit, quoniam rumoribus errat,	
Fabula proposito nulla tacenda meo.	
Arserat Aeneae Dido miserabilis igne,	545
Arserat exstructis in sua fata rogis ;	
Compositusque cinis, tumulique in marmore carmen	
Hoc breve, quod moriens ipsa reliquit, erat :	



- „Praebuit Aeneas et causam mortis et ensem.  
Ipsa sua Dido concidit usa manu.“ 550  
Protinus invadunt Numidae sine vindice regnum,  
Et potitur capta Maurus Iarba domo.  
Seque memor spretum, „thalamis tamen“ inquit „Elissae  
In ego, quem totiens reppulit illa, fruor“.  
Diffugiunt Tyrii, quo quemque agit error, ut olim 555  
Amisso dubiae rege vagantur apes.  
Tertia nudandas acceperat area messes,  
Inque cavos ierant tertia musta lacus:  
Pellitur Anna domo, lacrimansque sororia linqvit  
Moenia. Germanae iusta dat ante suae. 560  
Mixta bibunt molles lacrimis unguenta savillae  
Vertice libatas accipiuntque comas.  
Torque „vale!“ dixit, cineres ter ad ora relatos  
Pressit, et est illis visa subesse soror.  
Nancta ratem comitesque fugae pede labitur aequo, 565  
Moenia respiciens, dulce sororis opus.  
Fertilis est Melite sterili vicina Cosyrae  
Insula, quam Libyci verberet unda freti.  
Hanc petit, hospitio regis confisa vetusto.  
Hospes opum dives rex ibi Battus erat. 570  
Qui postquam didicit casus utriusque sororis,  
„Hacc“ inquit „tellus quantulacumque tua est“.  
Et tamen hospitii servasset ad ultima munus.  
Sed timuit magnas Pygmalionis opes.  
Signa recensuerat bis sol sua, tertius ibat 575  
Annus, et exilio terra paranda nova est.  
Frater adest, belloque petit. Rex arma perosus  
„Nos sumus inbelles, tu fuge sospes!“ ait.  
Iussa fugit, ventoque ratem committit et undis  
Asperior quovis aequore frater erat. 580  
Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes  
Parvus ager, Cameren incola turba vocat:  
Illuc cursus erat. Nec longius afuit inde,  
Quam quantum novies mittere funda potest:  
Vela cadunt primo et dubia librantur ab aura. 585  
„Findite remigio“ navita dixit „aquas!“  
Dumque parant torto subducere carbasa lino,  
Percutitur rapido puppis adunca noto,  
Inque patens aequor, frustra pugnante magistro,  
Fertur, et ex oculis visa refugit humus. 590  
Adsiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus  
Vertitur, et canas alveus haurit aquas.  
(Vincitur ars vento. Nec iam moderator habenis  
Utitur, aut votis his quoque poscit opem).  
Iactatur tumidas exul Phoenissa per undas, 595  
Umidaque opposita lumina veste tegit.

- Tunc primum Dido felix est dicte sorori  
 Et quaecumque aliquam corpore pressit humum.  
 Figitur ad Laurens ingenti flamine litus  
 Puppis, et expositis omnibus hausta perit. 600  
 Iam pius Aeneas regno nataque Latini  
 Auctus erat, populos miscueratque duos.  
 Litore dotali solo comitatus Achate  
 Secretum nudo dum pede carpit iter,  
 Aspicit errantem, nec credere sustinet Annam 605  
 Esse. Quid in Latios ille veniret agris?  
 Dum secum Aeneas, „Anna est!“ exclamat Achates.  
 Ad nomen voltus sustulit illa suos.  
 Quo fugiat? quid agat? quos terrae quaerat hiatus?  
 Ante oculos miserae fata sororis erant. 610  
 Sensit, et adloquitur trepidam Cythereius heros;  
 Flet tamen admonitu motus, Elissa, tui :  
 „Anna, per hanc iuro, quam quondam audire  
 solebas  
 Tellurem fato prosperiore dari,  
 Perque deos comites, hac nuper sede locatos, 615  
 Saepe meas illos increpuisse moras.  
 Nec timui de morte tamen. Metus afuit iste.  
 Ei mihi! credibili fortior illa fuit.  
 Ne refer. Aspexi non illo pectore digna  
 Volnera, Tartareas ausus adire domos. 620  
 At tu, seu ratio te nostris appulit oris,  
 Sive deus, regni commoda carpe mei.  
 Multa tibi memores, nil non debemus Elissae.  
 Nomine grata tuo, grata sororis, eris.“  
 Talia dicenti — neque enim spes altera restat — 625  
 Credidit, errores exposuitque suos.  
 Utque domum intravit Tyrios induta paratus,  
 Incipit Aeneas : — cetera turba silet —  
 „Hanc tibi cur tradam, pia causa, Lavinia coniunx,  
 Est mihi. Consumpsi naufragus huius opes. 630  
 Orta Tyro est, regnum Libyca possedit in ora :  
 Quam precor ut carae more sororis ames.“  
 Omnia promittit, falsumque Lavinia volnus  
 Mente premit tacita, dissimulatque fremens,  
 Dona cum videat praeter sua lumina ferri 635  
 Multa palam, mitti clam quoque multa putat.  
 Non habet exactum, quid agat. Furialiter odit,  
 Et parat insidias, et cupit ulta mori.  
 Non erat. Ante torum visa est adstare sororis  
 Squalenti Dido sanguinolenta coma 640  
 Et „fuge, ne dubita, maestum fuge“ dicere  
 „tectum!“  
 Sub verbum querulas inpulit aura fores.

- Exilit, et velox humili super arva fenestra  
 Se iacit. Audacem fecerat ipse timor.  
 Quaque metu rapitur, tunica velata recincta 645  
 Currit, ut auditis territa damna lupis.  
 Corniger hanc tumidis rapuisse Numicius undis  
 Creditur, et stagnis occuluisse suis.  
 Sidonis interea magno clamore per agros  
 Quaeritur : apparent signa notaeque pedum : 650  
 Ventum erat ad ripas : inerant vestigia ripis.  
 Sustinuit tacitas conscius amnis aquas,  
 Ipsa loqui visa est „placidi sum nympha Numici :  
 Amne perenne latens Anna Perenna vocor“,  
 Protinus erratis laeti vescuntur in agris, 655  
 Et celebrant largo remque diemque mero.  
 Sunt quibus haec Luna est, quia mensibus impleat  
 annum ;  
 Pars Themis, Inachiam pars putat esse bovem.  
 Invenies, qui te nymphen Atlantida dicant,  
 Teque Iovi primos, Anna, dedisse cibos. 660  
 Haec quoque, quam referam, nostras pervenit  
 ad aures  
 Fama, nec a veri dissidet illa fide.  
 Plebs vetus et nullis etiam tunc tuta tribunis  
 Fugit, et in Sacri vertice montis eget.  
 Iam quoque, quem secum tulerant, defecerat illos 665  
 Victus et humanis usibus apta Ceres.  
 Orta suburbanis quaedam fuit Anna Bovillis,  
 Pauper, sed munda sedulitatis anus.  
 Illa, levi mitra canos redimita capillos,  
 Fingebat tremula rustica liba manu : 670  
 Atque ita per populum fumantia mane solebat  
 Dividere. Haec populo copia grata fuit.  
 Pace domi facta signum posuere, perennem  
 Quod sibi defectis illa tulisset opem.

## LIBER QUARTUS

### Întemeierea Romei

- Iam luerat poenas frater Numitoris, et omne  
 Pastorum gemino sub duce volgus erat. 810  
 Contrahere agrestes et moenia ponere utrique  
 Convenit. Ambigitur, moenia ponat uter.  
 „Nil opus est“ dixit „certamine“ Romulus „ullo :  
 Magna fides avium est, experiamur aves.“



Res placet. Alter adit nemorosi saxa Palati :	815
Alter Aventinum mane cacumen init.	
Sex Remus, hic volucres bis sex videt ordine.	
Pacto ,	
Statur, et arbitrium Romulus urbis habet.	
Apta dies legitur, qua moenia signet aratro.	
Sacra Palis suberant : inde movetur opus	820
Fossa fit ad solidum, fruges iaciuntur in ima	
Et de vicino terra petita solo.	
Fossa repletur humo, plenaequae imponitur ara,	
Et novus accenso fungitur igne focus.	
Inde premens stivam designat moenia sulco ;	825
Alba iugum niveo cum bove vacca tulit.	
Vox fuit haec regis : „condenti, Iuppiter, urbem	
Et genitor Mavors Vestaque mater, ades!	
Quosque pium est adhibere deos, advertite cuncti!	
Auspicious vobis hoc mihi surgat opus.	830
Longa sit huic aetas dominaeque potentia terrae,	
Sitque sub hac oriens occiduusque dies.“	
Ille precabatur, tonitru dedit omina laevo	
Iuppiter et laevo fulmina missa polo.	835
Augurio laeti iaciunt fundamina cives,	
Et novus exiguo tempore murus erat.	
Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocarat,	
„Sint“ que, „Celer, curae“ dixerat „Ista tuae.	
Neve quis aut muros, aut factam vomere fossam	
Transeat, audentem talia dede neci“.	840
Quod Remus ignorans humiles contemnere muros	
Coepit, et „his populus“ dicere „tutus erit?“	
Nec mora, transiit. Rutro Celer occupat ausum,	
Ille premit duram sanguinolentus humum.	
Haec ubi rex didicit, lacrimas introrsus obortas	845
Devorat, et clausum pectore volnus habet.	
Flere palam non volt, exemplaue fortia servat,	
„Sic“ que „meos muros transeat hostis“ ait.	
Dat tamen exequias nec iam suspendere fletum	850
Sustinet, et pietas dissimulata patet ;	
Osculaque adplicuit posito suprema feretro,	
Atque ait „invito frater adempte, vale!“	
(Arsurosque artus unxit. Fecere, quod ille,	
Faustulus et maestas Acca soluta comas.	
Tum iuvenem nondum facti flevare Quirites.	855
Ultima plorato subdita flamma rogo est.)	

## METAMORPHOSES

## LIBER QUINTUS

## Răpirea Proserpinei

Haud procul Hennaeis lacus est a moenibus altae Nomine Pergus, aquae; non illo plura Caystros Carmina cygnorum labentibus edit in undis. Silva coronat aquas cingens latus omne suisque Frondebis ut velo Phoebeos summovet ignes.	385
Frigora dant rami, Tyrios humus umida flores : Perpetuum ver est. Quo dum Proserpina luco Ludit et aut violas aut candida lilia carpit, Dumque puellari studio calathosque sinumque Implet et aequales certat superare legendo, Paene simul visa est dilecta que raptaque Diti.	390
Usque adeo est properatus amor. Dea territa maesto Et matrem et comites, sed matrem saepius, ore Clamat et, ut summa vestem laniarat ab ora, Collecti flores tunicis cecidere remissis, Tantaque simplicitas puerilibus adfuit annis :	395
Haec quoque virgineum movit iactura dolorem. Raptor agit currus et nomine quemque vocando Exhortatur equos, quorum per colla iubasque Excutit obscura tinctas ferrugine habenas;	400
Perque lacus altos olentia sulphure fertur Stagna Palicorum rupta ferventia terra Et qua Bacchiadae, bimari gens orta Corinθο, Inter inaequales posuerunt moenia portus. Est medium Cyanes et Pisaeae Arethusae, Quod coit angustis inclusum cornibus aequor;	405
Hic fuit, a cuius stagnum quoque nomine dictum est, Inter Sicelidas Cyane celeberrima nymphas; Gurgite quae medio summa tenus extitit alto Agnovitque deam : „Nec longius ibitis, inquit; Non potes invitae Cereris gener esse; roganda, Non rapienda fuit. Quodsi componere magnis Parva mihi fas est, et me dilexit Anapis; Exorata tamen, nec, ut haec, exterrita nupsi“. Dixit et in partes diversas brachia tendens	410
	415

Obstitit. Haud ultra tenuit Saturnius iram	420
Terribilesque hortatus equos in gurgitis ima	
Contortum valido sceptrum regale lacerto	
Condidit. Icta viam tellus in Tartara fecit	
Et pronos currus medio cratere recepit.	
At Cyane raptamque deam contemptaque fontis	425
Iura sui maerens inconsolabile vulnus	
Mente gerit tacita lacrimisque absumitur omnis	
Et, quarum fuerat magnum modo numen, in illas	
Extenuatur aquas: molliri membra videres,	430
Ossa pati flexus, ungues posuisse rigorem;	
Primaque de tota tenuissima quaeque liquescunt,	
Caerulei crines digitique et crura pedesque;	
Nam brevis in gelidas membris exilibus undas	
Transitus est; post haec umeri terqusque latusque	435
Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos;	
Denique pro vivo vitiatas sanguine venas	
Lympha subit, restatque nihil, quod prendere posses.	
Interea pavidae nequiquam filia matri	
Omnibus est terris, omni quaesita profundo.	440
Illam non udis veniens Aurora capillis	
Cessantem vidit, non Hesperus. Illa duabus	
Flammiferas pinus manibus succendit ab Aetna	
Perque pruinosas tulit irrequieta tenebras.	
Rursus ubi alma dies hebetarat sidera, natam	445
Solis ab occasu solis quaerebat ad ortus.	
Fessa labore sitim conceperat, oraque nulli	
Colluerant fontes, cum tectam stramine vidit	
Forte casam parvasque fores pulsavit; at inde	
Prodit anus divamque videt lymphamque roganti	450
Dulce dedit, tosta quod texerat ante polenta.	
Dum bibit ille datum, duri puer oris et audax	
Constitit ante deam risitque avidamque vocavit.	
Offensa est neque adhuc epota parte loquentem	
Cum liquido mixte perfudit diva polenta:	455
Combibit os maculas, et, quae modo brachia gessit,	
Crura gerit, cauda est mutatis addita membris,	
Inque brevem formam, ne sit vis magna nocendi,	
Contrahitur, parvaque minor mensura lacerta est.	
Mirantem flentemque et tangere monstra parantem	460
Fugit anum latebramque petit, aptumque pudori	
Nomen habet variis stellatus corpora guttis.	
Quas dea per terras et quas erraverit undas,	
Dicere longa mora est: quaerenti defuit orbis.	
Sicaniam repetit, dumque omnis lustrat eundo,	465
Venit et ad Cyanen. Ea ni mutata fuisset,	
Omnia narrasset, eds et os et lingua volenti	
Dicere non aderant, nec, qua loqueretur, habebat.	



Signa tamen manifesta dedit notamque parenti  
 Illo forte loco delapsam in gurgite sacro  
 Persephones zonam summis ostendit in undis. 470  
 Quam simul agnovit, tanquam tunc denique raptam  
 Scisset, inornatos laniavit diva capillos  
 Et repetita suis percussit pectora palmis  
 Nescit adhuc ubi sit; terras tamen increpat omnes  
 Ingratasque vocat nec frugum munere dignas, 475  
 Trinacriam ante alias, in qua vestigia damni  
 Repperit. Ergo illic saeva vertentia glaebas  
 Fregit aratra manu parilique irata colonos  
 Ruricolasque boves leto dedit arvaque iussit  
 Fallere depositum vitiataque semina fecit. 480  
 Fertilitas terrae latum vulgata per orbem  
 Falsa iacet; primis segetes moriuntur in herbis,  
 Et modo sol nimius, nimius modo corripit imber,  
 Sideraque ventique nocent, avidaeque volucres  
 Semina iacta legunt; lolium tribulique fatigant 485  
 Triticeas messes et inexpugnabile gramen.  
 Tum caput Eleis Alpheias extulit undis  
 Rorantesque comas a fronte removit ad aures  
 Atque ait: „o toto quaesitae virginis orbe  
 Et frugum genetrix, immensos siste labores, 490  
 Neve tibi fidae violenta irascere terrae.  
 Terra nihil meruit patuitque invita rapinae.  
 Nec sum pro patria supplex: huc hospita veni.  
 Pisa mihi patria est et ab Elide ducimus ortus;  
 Sicaniam peregrina colo, sed gratior omni 495  
 Hac mihi terra solo est; hos nunc Arethusa penates,  
 Hanc habeo sedem; quam tu, mitissima, serva.  
 Mota loco cur sim tantique per aquoris undas  
 Advehar Ortygiam, veniet narratibus hora  
 Tempestitiva meis, cum tu curaque levata 500  
 Et vultus melioris eris. Mihi pervia tellus  
 Praebet iter subterque imas ablata cavernas  
 Hic caput attollo desuetaque sidere cerno.  
 Ergo dum Stygio sub terris gurgite labor,  
 Visa tua est oculis illic Proserpina nostris: 505  
 Illa quidem tristis neque adhuc interrita vultu,  
 Sed regina tamen, sed opaci maxima mundi,  
 Sed tamen inferni pollens matrona tyranni“.  
 Mater ad auditas stupuit ceu saxea voces  
 Attonitaeque diu similis fuit, utque dolore 510  
 Pulsa gravi gravis est amentia, curribus oras  
 Exit in aetherias. Ibi toto nubila vultu  
 Ante Iovem passis stetit invidiosa capillis:  
 „Proque meo veni supplex tibi, Iuppiter, inquit  
 Sanguine proque tuo. Si nulla est gratia matris, 515

Nata patrem moveat, neu sit tibi cura, precamur,  
 Vilior illius, quos nostro est edita partu.  
 En quaesita diu tandem mihi nata reperta est,  
 Si reperire vocas amittere certius, aut si  
 Scire ubi sit reperire vocas. Quod rapta, feremus, 520  
 Dummodo reddat eam! neque enim praedone marito  
 Filia digna tua est, si iam mea filia non est.“  
 Iuppiter exceptit: „Commune est pignus onusque  
 Nata mihi tecum; sed si modo nomina rebus  
 Addere vera placet, non hoc iniuria factum, 525  
 Verum amor est, neque erit nobis gener ille pudori,  
 Tu modo, diva, velis. Ut desint cetera, quantum est  
 Esse Iovis fratrem! quid quod non cetera desunt  
 Nec cedit nisi sorte mihi? sed tanta cupido  
 Si tibi discidii est, repetet Proserpina caelum, 530  
 Lege tamen certa, si nullos contigit illic  
 Ore cibos; nam sic Parcarum foedere cautum est“.  
 Dixerat; at Cereri certum est educere natam;  
 Non ita fata sinunt, quoniam ieiunia virgo  
 Solverat et, cultis dum simplex errat in hortis, 535  
 Punice curva decerpserat arbore pomum  
 Sumptaque pallenti septem de cortice grana  
 Presserat ore suo; solusque ex omnibus illud  
 Ascalaphus vidit, quem quondam dicitur Orphe,  
 Inter Avernales haud ignotissima nymphas, 540  
 Ex Acheronte suo silvis peperisse sub atris;  
 Vidit et indicio reditum crudelis ademit.  
 Ingemuit regina Erebi testemque profanam  
 Fecit avem sparsumque caput Phlegethontide lympha  
 In rostrum et plumas et grandia lumina vertit. 545  
 Ille sibi ablatus fulvis amicitur ab alis  
 Inque caput crescit longosque reflectitur unguis  
 Vixque movet natas per inertia bracchia pennas;  
 Foedaque fit volucris, venturi nuntia luctus,  
 Ignavus bubo, dirum mortalibus omen. 550  
 Hic tamen indicio poenam linguaque vidcri  
 Commeruisse potest: vobis, Acheloides, unde  
 Pluma pedesque avium, cum virginis ora geratis?  
 An quia, cum legeret vernos Proserpina flores,  
 In comitum numero, doctae Sirenes, eratis? 555  
 Quam postquam toto frustra quaesistis in orbe,  
 Protinus, ut vestram sentirent aequora curam,  
 Posse super fluctus alarum insistere remis  
 Optastis facilesque deos habuistis et artus  
 Vidistis vestros subitis flavescere pennis; 560  
 Ne tamen ille canor mulcendas.natus ad aures  
 Tantaque dos oris linguae deperderet usum,  
 Virginei vultus et vox humana remansit.



At medius fratrisque sui maestaeque sororis  
 Iuppiter ex aequo volventem dividit annum : 565  
 Nunc dea, regnorum numen commune duorum,  
 Cum matre est totidem, totidem cum coniuge menses.  
 Vertitur extemplo facies et mentis et oris ;  
 Nam, modo quae poterat Diti quoque maesta videri,  
 Laeta deae frons est, ut sol, qui tectus aquosis 570  
 Nubibus ante fuit, victis e nubibus exit.

## LIBER OCTAVUS

### Daedalus și Icarus

Daedalus interea Creten longumque perosus  
 Exilium, tactusque loci natalis amore,  
 Clausus erat pelago. „Terras licet, inquit, et undas 185  
 Obstruat, at caelum certe patet; ibimus illac;  
 Omnis possideat, non possidet aera Minos“.  
 Dixit et ignotas animum dimittit in artes  
 Naturamque novat. Nam ponit in ordine pennas,  
 A minima coeptas, longam brevior sequenti, 190  
 Ut clivo crevisse putes: sic rustica quondam  
 Fistula disparibus paulatim surgit avenis.  
 Tum lino medias et ceris alligat imas,  
 Atque ita compositas parvo curvamine flectit,  
 Ut veras imitetur aves. Puer Icarus una 195  
 Stabat et ignarus sua se tractare pericla,  
 Ore renidenti modo, quas vaga moverat aura,  
 Captabat plumas, flavam modo pollice ceram,  
 Mollibat lusuque suo mirabile patris  
 Impediebat opus. Postquam manus ultima coepto 200  
 Imposita est, geminas opifex libravit in alas  
 Ipse suum corpus motaque pependit in aura.  
 Instruit et natum: „medioque ut limite curras.  
 Icare, ait, moneo, ne, si demissior ibis,  
 Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat. 205  
 Inter utrumque vola. Nec te spectare Booten  
 Aut Helicen iubeo strictumque Orionis ense:  
 Me duce carpe viam!“ Pariter praecepta volandi  
 Tradit et ignotas umeris accommodat alas.  
 Inter opus monitusque genae maduere seniles, 210  
 Et patriae tremuere manus. Dedit oscula nato  
 Non iterum repetenda suo pennisque levatus  
 Ante volat comitique timet, velut ales, ab alto  
 Quae teneram prolem produxit in aera nido;



Hortaturque sequi damnosaque erudit artes	215
Et movet ipse suas et nati respicit alas.	
Hos aliquis tremula dum captat harundine pisces,	
Aut pastor baculo stivave innixus arator	
Vidit et obstupuit, quique aethera carpere possent,	220
Credidit esse deos. Et iam Iunonis laeva	
Parte Samos (fuerant Delosque Parosque relictæ),	
Dextra Lebinthus erat fecundaque melle Calymne,	
Cum puer audaci coepit gaudere volatu	
Deseruitque ducem caelique cupidine tractus	
Altius egit iter. Rapidi vicinia solis	225
Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras.	
Tabuerant cerae: nudos quatit ille lacertos	
Remigioque carens non ullas percipit auras,	
Craque caerulea patrium clamantia nomen	
Excipiuntur aqua, quae nomen traxit ab illo.	230
At pater infelix nec iam pater: „Icare, dixit,	
Icare, dixit, ubi es? qua te regione requiram?“.	
„Icare“ dicebat: pennas adspexit in undis	
Devovitque suas artes corpusque sepulcro	
Condidit et tellus a nomine dicta sepulti.	235

### Philemon și Baucis

Obstipuere omnes, nec talia dicta probarunt;	
Ante omnesque Lelex animo maturus et aevo	
Sic ait: „Immensa est finemque potentia caeli	
Non habet et, quidquid superi voluere, peractum est.	
Quoque minus dubites, tiliae contermina quercus	620
Collibus est Phrygiis modico circumdata muro;	
Ipsa locum vidi; nam me Pelopeia Pittheus	
Misit in arva suo quondam regnata parenti.	
Haud procul hinc stagnum est, tellus habitabilis olim,	
Nunc celebres mergis fulicisque palustribus undae.	625
Iuppiter huc specie mortali cumque parente	
Venit Atlantiades positus caducifer alis.	
Mille domos adiere locum requiemque petentes,	
Mille domos clausere serae. Tamen una recepit,	
Parva quidem stipulis et canna tecta palustri,	630
Sed pia Baucis anus parilique aetate Philemon	
Illa sunt annis iuncti iuvenalibus, illa	
Consuenera casa paupertatemque fatendo	
Effecere levem nec iniqua mente ferendo.	
Nec refert dominos illic famulosne requiras:	635
Tota domus duo sunt, idem parentque iubentque.	
Ergo ubi caelicolae parvos tetigere Penates	
Summissosque humiles intrarunt vertice postes,	

Membra senex posito iussit relevare sedili;  
 Quo super iniecit textum rude sedula Baucis, 640  
 Inque foco tepidum cinerem dimovit et ignes  
 Suscitatur hesternis foliisque et cortice sicco  
 Nutrit et ad flammam animam producit anili  
 Multifidasque faces ramaliaque aride tecto  
 Detulit et minuit parvoque admovit aeno, 645  
 Quodque suus coniunx riguo collegerat horto,  
 Truncat holus foliis; furca levat ille bicorni  
 Sordida terga suis nigro pendentia tigno  
 Servatoque diu resecat de tergore partem  
 Exiguam sectamque domat ferventibus undis. 650  
 Interea medias fallunt sermonibus horas  
 Concutiuntque torum de molli fluminis ulva  
 Impositum lecto sponda pedibusque salignis;  
 Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo  
 Sternere consueverant, sed et haec vilisque vetusque 655  
 Vestis erat, lecto non indignanda saligno:  
 Accubere dei. Mensam succincta tremensque  
 Ponit anus; mensae sed erat pes tertius impar;  
 Testa parem fecit; quae postquam subdita civum  
 Sustulit, acquatam mentae tersere virentes. 660  
 Ponitur hic bicolor sinceram bacca Minervae  
 Conditaque in liquida corna autumnalia facce  
 Intibaque et radix et lactis massa coacti  
 Ovaeque non acri leviter versata favilla,  
 Omnia fictilibus; post haec caelatus eodem 665  
 Sistitur argento crater fabricataque fago  
 Pocula, qua cava sunt, flaventibus illita ceris.  
 Parva mora est, epulasque foci misere calentes,  
 Nec longae rursus referuntur vina senectae  
 Dantque locum mensis paulum seducta secundis. 670  
 Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis  
 Prunaque et in patulis redolentia mala canistris  
 Et de purpureis collectae vitibus uvae;  
 Candidus in medio favus est: super omnia vultus  
 Accessere boni nec iners pauperque voluntas. 675  
 Interea totiens haustum cratera repleti  
 Sponte sua per seque vident succrescere vina;  
 Attoniti novitate pavent manibusque supinis  
 Concupiunt Baucisque preces timidusque Philemon  
 Et veniam dapibus nullisque paratibus orant. 680  
 Unicus anser erat, minimae custodia villae,  
 Quem clis hospitibus domini mactare parabant;  
 Ille celer penna tardos aetate fatigat  
 Eluditque diu tandemque est visus ad ipsos  
 Confugisse deos. Superi vetuere necari: 685  
 „Dique sumus, meritasque luet vicinia poenas



Impia, dixerunt; vobis immunibus huius Esse mali dabitur. Modo vestra relinquite tecta Ac nostros comitate gradus et in ardua montis Ite simul." Parent ambo baculisque levati	690
Nituntur longo vestigia ponere clivo. Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta Missa potest: flexere oculos et mersa palude Cetera prospiciunt, tantum sua tecta manere.	695
Dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum, Illa vetus, dominis etiam casa parva duobus, Vertitur in templum: furcas subiere columnae, Stramina flavescunt, adopertaque marmore tellus Caelataeque fores aurataeque tecta videntur.	700
Talia tum placido Saturnius edidit ore: „Dicite, iuste senex et femina coniuge iusto Digna, quid optetis." Cum Baucide pauca locutus, Iudicium superis aperit commune Philemon:	705
„Esse sacerdotes delubraeque vestra tueri Poscimus, et quoniam concordēs egimus annos, Auferat hora duos eadem, nec coniugis unquam Busta meae videam neu sim tumulandus ab illa". Vota fides sequitur: templi tutela fuere, Donec vita data est; annis aevoque soluti	715
Ante gradus sacros cum starent forte locique Narrarent casus, frondere Philemona Baucis, Baucida conspexit senior frondere Philemon. Iamque super geminos crescente cacumine vultus, Mutua, dum licuit, reddebant dicta: „Valeque, „O coniunx" dixere simul, simul abdita texit	720
Ora frutex. Ostendit adhuc Thyneius illic Incola de gemino vicinos corpore truncos.	

## LIBER UNDECIMUS

### Midas

Nec satis hoc Baccho est; ipsos quoque deserit agros Cumque choro meliore sui vineta Timoli Pactolonque petit, quamvis non aureus illo Tempore nec caris erat invidiosus harenis. Hunc assueta cohors Satyri Bacchaeque frequentant, At Silenus abest. Titubantem annisque meroque	85
Ruricolae cepere Phryges vinctumque coronis Ad regem duxere Midan, cui Thracius Orpheus Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.	90



Qui simul agnovit socium comitemque sacrorum, Hospitis adventu festum genialiter egit	95
Per bis quinque dies et iunctas ordine noctes, Et iam stellarum sublime coegerat agmen Lucifer undecimus, Lydos cum laetus in agros Rex venit et iuveni Silenum reddit alumno.	
Huic deus optandi gratum, sed inutile, fecit Muneris arbitrium, gaudens altore recepto ;	100
Ille male usurus donis ait : „Efficere, quidquid Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum“.	
Adnuit optatis nocituraque munera solvit Liber et indoluit, quod non meliora petisset,	105
Laetus abit gaudetque malo Berecynthius heros Pollicitique fidem tangendo singula temptat, Vixque sibi credens non alta fronde virentem Ilice detraxit virgam : virga aurea facta est ;	
Tollit humo saxum : saxum quoque palluit auro ;	110
Contigit et glaebam : contactu glaeba potenti Massa fit ; arentes Cereris decerpit aristas : Aurea messis erat ; demptum tenet arbore pomum :	
Hesperidas donasse putes ; si postibus altis Admovit digitos, postes radiare videntur.	115
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis, Unda fluens palmis Danaen eludere posset. Vix spes ipse suas animo capit, aurea fingens Omnia ; gaudenti mensas posuere ministri	
Exstructas dapibus nec tostae frugis egentes.	120
Tum vero, sive ille sua Cerealia dextra Munera contigerat, Cerealia dona rigebant ; Sive dapes avido convellere dente parabat, Lamina fulva dapes admoto dente premebat ;	
Miscuerat puris auctorem muneris undis ;	125
Fusile per rictus aurum fluitare videres. Attonitus novitate mali divesque miserque Effugere optat opes, et, quae modo voverat, odit. Copia nulla famem relevat ; sitis arida guttur Urit, et invisio meritis torquetur ab auro,	
Ad caelumque manus et splendida bracchia tollens „Da veniam, Lenae pater, peccavimus, inquit, Sed miserere, precor, speciosoque eripe damno!“ Mite deum numen ; Bacchus peccasse fatentem Restituit factique fide data munera solvit :	130
„Neve male optato maneat circumlitus auro, Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem, Perque iugum Lydum labentibus obvius undis Carpe viam, donec venias ad fluminis ortus, Spumigeroque tuum fonti, qua plurimus exit,	
Subde caput corpusque simul, simul elue crimen!“	140

Rex iussae succedit aquae : vis aurea tinxit  
 Flumen et humano de corpore cessit in amnem.  
 Nunc quoque iam veteris percepto semine venae  
 Arva rigent auro madidis pallentia glaebis, 145  
 Ille, perosus opes, silvas et rura colebat  
 Panaque montanis habitantem semper in antris ;  
 Pingue sed ingenium mansit, nocituraque, ut ante,  
 Rursus erant domino stultae praecordia mentis.  
 Nam freta prospiciens late riget arduus alto 150  
 Tmolus in ascensu clivoque extensus utroque  
 Sardibus hinc, ilinc parvis finitur Hypaepis.  
 Pan ibi dum teneris iactat sua carmina nymphis  
 Et leve cerata modulatur harundine carmen  
 Ausus Apollineos prae se contemnere cantus, 155  
 Iudice sub Tmolo certamen venit ad impar.  
 Monte suo senior iudex consedit et aures  
 Liberat arboribus ; quercu coma caerulea tantum  
 Cingitur, et pendent circum cava tempora glandes  
 Isque deum pecoris spectans : „in iudice“ dixit, 160  
 „Nulla mora est.“ Calamis agrestibus insonat ille  
 Barbaricoque Midan (aderat nam forte canenti)  
 Carmine delenit. Post hunc sacer ora retorsit  
 Tmolus ad os Phoebi ; vultum sua silva secuta est.  
 Ille caput flavum lauro Parnaside vinctus 165  
 Verrit humum Tyrio saturata murice palla  
 Instruitamque fidem gemmis et dentibus Indis  
 Sustinet a laeva ; tenuit manus altera plectrum :  
 Artificis status ipse fuit ; tum stamina docto  
 Pollice sollicitat, quorum dulcedine captus 170  
 Pana iubet Tmolus citharae summittere cannas.  
 Iudicium sanctique placet sententia montis  
 Omnibus ; arguitur tamen atque iniusta vocatur  
 Unius sermone Midae. Nec Delius aures  
 Humanam stolidas patitur retinere figuram, 175  
 Sed trahit in spatium villisque albetibus implet  
 Instabilesque imas facit et dat posse moveri ;  
 Cetera sunt hominis ; partem damnatur in unam  
 Induiturque aures lente gradientis aselli.  
 Ille quidem celare cupit turpisque pudore 180  
 Tempora purpureis temptat celare tiaris ;  
 Sed solitus longos ferro resecare capillos  
 Viderat hoc famulus ; qui cum nec prodere visum  
 Dedecus auderet, cupiens efferre sub auras,  
 Nec posset reticere tamen, secedit humumque 185  
 Effodit et, domini quales aspexerit aures,  
 Voce refert parva terraeque immurmurat haustae  
 Indiciumque suae vocis tellure regesta  
 Obruit, et scrobibus tacitus discedit opertis.



Creber harundinibus tremulis ibi surgere lucus 190  
 Coepit et, ut primum pleno maturuit anno,  
 Prodidit agricolam: leni nam motus ab austro  
 Obruta verba refert dominique coarguit aures.

## LIBER TERTIUS DECIMUS

**Polyxena**

Est, ubi Troia fuit, Phrygiae contraria tellus 430  
 Bistonii habitata viris: Polymestoris illic  
 Regia dives erat, cui te commisit allendum  
 Clam, Polydore, pater Phrygiisque removit ab armis,  
 Consilium sapiens, sceleris nisi praemia magnas  
 Adiecisset opes, animi irritamen avari.  
 Ut cecidit fortuna Phrygum, capit impius ensem 435  
 Rex Thracum iuguloque sui demisit alumni  
 Et, tanquam tolli cum corpore crimina possent,  
 Exanimem scopulo subiectas misit in undas.  
 Litore Threicio classem religarat Atrides,  
 Dum mare pacatum, dum ventus amicior esset; 440  
 Hic subito, quantus, cum viveret, esse solebat,  
 Exit humo late rupta similisque minanti  
 Temporis illius vultum referebat Achilles,  
 Quo ferus iniusto petiit Agamemnona ferro,  
 „Immemoresque mei disceditis, inquit, Achivi, 445  
 Obrutaque est mecum virtutis gratia nostrae?  
 Ne facite! utque meum non sit sine honore sepulcrum,  
 Placet Achilleos mactata Polyxena manes“.  
 Dixit et immiti sociis parentibus umbrae.  
 Rapta sinu matris, quam iam prope sola favebat, 450  
 Fortis et infelix et plus quam femina virgo  
 Ducitur ad tumulum diroque fit hostia busto.  
 Quae memor ipse sui, postquam crudelibus aris  
 Admota est sensitque sibi fera sacra parari,  
 Utque Neoptolemum stantem ferrumque tenentem 455  
 Utque suo vidit figentem lumina vultu,  
 „Utere iamdudum generoso sanguine, dixit,  
 Nulla mora est: aut tu iugulo vel pectore telum  
 Conde meo!“ (iugulumque simul pectusque retexit;  
 Scilicet haud ulli servire Polyxena vellet) 460  
 „Haud per tale sacrum numen placabitis ullum;  
 Mors tantum vellem matrem mea fallere posset:  
 Mater obest minuitque necis mihi gaudia, quamvis  
 Non mea mors illi, verum sua vita gemenda est.



Vos modo, ne Stygios adeam non libera manes, 465  
 Ite procul, si iusta peto, tactuque viriles  
 Virgineo removete manus! acceptior illi,  
 Quiquis is est, quem caede mea placare paratis.  
 Liber erit sanguis. Si quos tamen ultima nostri  
 Verba movent oris (Priami vos filia regis, 470  
 Nunc captiva rogat), generici corpus inemptum  
 Reddite, neve auro redimant ius triste sepulcri.  
 Sed lacrimis: tunc, cum poterat, redimebat et auro."  
 Dixerat, at populus lacrimas, quas illa tenebat,  
 Non tenet; ipse etiam flens invitique sacerdos 475  
 Praebita coniecto rupit praecordia ferro.  
 Illa super terram defecto poplite labens  
 Pertulit intrepidus ad fata novissima vultus.  
 Tunc quoque cura fuit partes velare pedum,  
 Cum caderet, castique decus servare pudoris. 480  
 Troades excipiunt deploratosque recensent  
 Priamidas et quid dederit domus una cruoris;  
 Teque gemunt, virgo, teque, o modo regia coniunx,  
 Regia dicta parens, Asiae florentis imago,  
 Nunc etiam praedae mala sors; quam victor Ulixes 485  
 Esse suam nollet, nisi quod tamen Hectora partu  
 Ediderat: dominum matri vix repperit Hector.

## LIBER QUARTUS DECIMUS

### Corăbitle lui Aeneas

Hinc ubi legati rediere negata ferentes  
 Arma Aetola sibi, Rutuli sine viribus illis  
 Bella instructa gerunt, multumque ab utraque cruoris  
 Parte datur. Fert ecce avidas in pinea Turnus 530  
 Texta faces, ignesque timent, quibus unda pepercit.  
 Iamque picem et ceras alimentaue cetera flammae  
 Mulciber urebat perque altum ad carbasa malum  
 Ibat, et incurvae fumabant transtra carinae,  
 Cum memor has pinus Idaeo vertice caesas 535  
 Sancta deum genetrix tinnitibus aera pulsi  
 Aeris et inflati complevit murmure buxi,  
 Perque leves domitis invecta leonibus auras:  
 „Irrita sacrilega iactes incendia dextra,  
 Turne, sit; eripiam, nec me patiente cremabit 540  
 Ignis edax nemorum partes et membra meorum“.  
 Intonuit dicente dea, tonitrumque secuti  
 Cum saliente graves ceciderunt grandine nimbi,

Aeraque et tumidum subitis concursibus aequor  
 Astraei turbant et eunt in proelia fratres. 545  
 E quibus alma parens unius viribus usa  
 Stuppea praerupit Phrygiae retinaculâ classis  
 Fertque rates pronas medioque sub aequore mergit ;  
 Robore mollito lignoque in corpora verso,  
 In capitum facies puppes mutantur aduncae, 550  
 In digitos abeunt et crura natantia remi,  
 Quodque prius fuerat, latus est, mediisque carina  
 Subdita navigiis spinac mutatur in usum,  
 Lina comae moles, antemnae bracchia fiunt ;  
 Caerulus, ut fuerat, color est ; quasque ante timebant, 555  
 Illas virgineis exercent lusibus undas  
 Naides aequoreae durisque in montibus ortae  
 Molle fretum celebrant, nec eas sua tangit origo ;  
 Non tamen oblitae, quam multa pericula saepe  
 Pertulerint pelago, iactatis saepe carinis 560  
 Supposuere manus, nisi si qua vehebat Achivos.

### Apoteoza lui Aeneas

Iamque deos omnes ipsamque AENEIA virtus  
 Iunonem veteres finire coegerat iras,  
 Cum, bene fundatis opibus crescentis Iuli,  
 Tempestivus erat caelo Cythereius heros ; 585  
 Ambicratque Venus superos colloque parentis  
 Circumfusa sui : „Nunquam mihi, dixerat, ullo  
 Tempore dure pater, nunc sis mitissimus, opto,  
 Aeneaeque meo, qui te de sanguine nostro  
 Fecit avum, quamvis parvum des, optime, numen,  
 Dummodo des aliquod. Satis est inamabile regnum 590  
 Adspexisse semel, Stygios semel isse per amnes“.  
 Assensere dei, nec coniunx regia vultus  
 Immotos tenuit placatoque annuit ore.  
 Tum pater : „Estis, ait, caelesti numine digni,  
 Quaeque petis, pro quoque petis ; cape, nata quod optas“ . 595  
 Fatus erat. Gaudet gratesque agit illa parenti  
 Perque leves auras iunctis invecta columbis  
 Litus adit Laurens, ubi tectus harundine serpit  
 In freta flumineis vicina Numicius undis.  
 Hunc iubet Aeneae, quaecumque obnoxia morti, 600  
 Abluere et tacito deferre sub aquora cursu.  
 Corniger exsequitur Veneris mandata suisque,  
 Quidquid in Aenea fuerat mortale, repurgat

Et respersit aquis; pars optima restitit illi.  
 Lustratum genetrix divino corpus odore  
 Unxit et ambrosia cum dulci nectare mixta  
 Contigit os fecitque deum; quem turba Quirini  
 Nuncupat Indigetem temploque arisque recepit. 605

## TRISTIA

### LIBER PRIMUS

#### III

#### Ultima noapte la Roma

Cum subit illius tristissima noctis imago,  
 Qua mihi supremum tempus in Urbe fuit,  
 Cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,  
 Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.  
 Iam prope lux aderat, qua me discedere Caesar 5  
 Finibus extremae iusserat Ausoniae.  
 Nec spatium fuerat, nec mens satis apta parandi.  
 Torpuerant longa pectora nostra mora.  
 Non mihi servorum, comites non cura legendi,  
 Non aptae profugo vestis opisve fuit. 10  
 Non aliter stupui, quam qui Iovis ignibus ictus,  
 Vivit et est vitae nescius ipse suae.  
 Ut tamen hanc animi nubem dolor ipse removit,  
 Et tandem sensus convaluere mei,  
 Adloquor extremum maestos abiturus amicos, 15  
 Qui modo de multis unus et alter erant.  
 Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat,  
 Imbre per indignas usque cadente genas.  
 Nata procul Libycis aberat diversa sub oris,  
 Nec poterat fati certior esse mei. 20  
 Quocumque aspiceres, luctus gemitusque sonabant,



Formaue non taciti funeris intus erat.  
 Femina virque meo, pueri quoque funere maerent,  
 Inque domo lacrimas angulus omnis habet :  
 Si licet exemplis in parvis grandibus uti, 25  
 Hac facies Troiae, cum caperetur, erat.  
 Iamque quiescebant voces hominumque canumque,  
 Lunaque nocturnos alta regebat equos.  
 Hanc ego suspiciens et ab hac Capitolia cernens,  
 Quae nostro frustra iuncta fuere lari, 30  
 „Numina vicinis habitantia sedibus“, inquam  
 „Iamque oculis numquam templa videnda meis,  
 Dique relinquendi, quos urbs habet alta Quirini,  
 Este salutati tempus in omne mihi!  
 Et quamquam sero clipeum post vulnera sumo, 35  
 Attamen hanc odiis exonerate fugam,  
 Caelestique viro, quis me deceperit error,  
 Dicite, pro culpa ne scelus esse putet!  
 Ut quod vos scitis, poenae quoque sentiat auctor,  
 Placato possum non miser esse deo.“ 40  
 Hac prece adoravi superos ego, pluribus uxor,  
 Singultu medios impediante sonos.  
 Illa etiam ante lares passis adstrata capillis  
 Contigit extinctos ore tremente focos,  
 Multaque in adversos effudit verba penates 45  
 Pro deplorato non valitura viro.  
 Iamque morae spatium nox praecipitata negabat,  
 Versaque ab axe suo Parrhasis arctos erat.  
 Quid facerem? blando patriae retinebar amore :  
 Ultima sed iussae nox erat illa fugae. 50  
 A! quotiens aliquo dixi properante „quid urges?  
 Vel quo festinas ire, vel unde, vide!“  
 A! quotiens certam me sum mentitus habere  
 Horam, propositae quae foret apta viae. 55  
 Ter limen tetigi, ter sum revocatus, et ipse  
 Indulgens animo pes mihi tardus erat.  
 Saepe vale dicto rursus sum multa locutus,  
 Et quasi discedens oscula summa dedi.  
 Saepe eadem mandata dedi neque ipse scelli,  
 Respiciens oculis, pignora cara meis. 60  
 Denique „Quid propero? Scythia est, quo mittimur“, inquam,  
 „Roma relinquenda est, utraque inquam iusta mora est.  
 Uxor in aeternum vivo mihi viva negatur,  
 Et domus et fidae dulcia membra domus,  
 Quosque ego dilexi fraterno more sodales, 65  
 O mihi Thesca pectora inmeta fide!  
 Dum licet, amplectar, Nunquam fortasse nocbit  
 Amplius in lucro est quae datur hora mihi“.  
 Nec mora, sermone verba imperfecta relinquo.

Completens animo proxima quaeque meo.	70
Dum loquor et flemus, caelo nitidissimus alto,	
Stella gravis nobis, Lucifer ortus erat.	
Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam,	
Et pars abrumpi corpore visa suo est.	
Sic doluit Mettus tunc, cum in contraria versos	75
Ultiores habuit proditionis equos.	
Tum vero exoritur clamor gemitusque meorum,	
Et feriunt maestae pectora nuda manus,	
Tum vero coniunx, umeris abeuntis inhaerens,	
Miscuit haec lacrimis tristia verba meis :	80
„Non potes avelli. Simul hinc, simul ibimus“ inquit :	
„Te sequar et coniunx exulis exul ero.	
Et mihi facta via est, et me capit ultima tellus :	
Accedam profugae sarcina parva rati.	
Te iubet a patria discedere Caesaris ira,	85
Me pietas. Pietas haec mihi Caesar erit“.	
Talia temptabat, sicut temptaverat ante,	
Vixque dedit victas utilitate manus.	
Egredior, sive illud erat sine funere ferri,	
Squalidus inmissis hirta per ora comis.	90
Illa dolore amens tenebris narratur obortis	
Semianimis media procubuisse domo,	
Utque resurrexit foedatis pulvere turpi	
Crinibus et gelide membra levavit humo,	
Se modo, desertos modo complorasse penates,	95
Nomen et erepti saepe vocasse viri,	
Nec gemuisse minus, quam si nataeque meumque	
Vidisset structos corpus habere rogos,	
Et voluisse mori, moriendo ponere sensus,	
Respectuque tamen non periisse mei.	100
Vivat! et absentem — quoniam sic fata tulerunt —	
Vivat ut, auxilio sublevet usque suo.	

## LIBER TERTIUS

### X

#### Iarna in țara geților

Siquis adhuc istic meminit Nasonis adempti,  
 Et superest sine me nomen in Urbe meum,  
 Suppositum stellis numquam tangentibus aequor

Me sciat in media vivere barbaria.	
Sauromatae cingunt, fera gens, Bessique Getaeque,	5
Quam non ingenio nomina digna meo!	
Dum tamen aura tepet, medio defendimur Histro :	
Ille suis liquidus bella repellit aquis.	
At cum tristis hiems squalentia protulit ora,	
Terraque marmoreo est candida facta gelu,	10
Dum patet et boreas et nix iniecta sub arcto	
Tum patet, has gentes axe tremente premi.	
Nix iacet, et iactam ne sol pluviaeque resolvant,	
Indurat boreas perpetuamque facit.	
Ergo ubi delucit nondum prior, altera venit,	15
Et solet in multis bima manere locis.	
Tantaque commoti vis est aquilonis, ut altas	
Aequet humo turre tectaque rapta ferat.	
Pellibus et sutis arcent mala frigora braxis,	
Oraque de toto corpore sola patent.	20
Saepe sonant moti glacie pendente capilli,	
Et nitet inducto candida barba gelu ;	
Nudaque consistunt, formam servantia testae,	
Vina nec hausta meri, sed data frusta bibunt.	
Quid loquar, ut vincti concrescant frigore rivi,	25
Deque lacu fragiles effodiantur aquae?	
Ipse, papyrifero qui non angustior amne	
Miscetur vasto multa per ora freto,	
Caeruleos ventis latices durantibus, Hister	
Congelat et tectis in mare serpit aquis.	30
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur, et undas	
Frigore concretas ungula pulsa equi ;	
Perque novos pontes subter labentibus undis	
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.	
Vix equidem credar, sed cum sint praemia falsi	35
Nulla, ratam debet testis habere fidem.	
Vidimus ingentem glacie consistere pontum,	
Lubricaque inmotas testa premebat aquas.	
Nec vidisse sat est ; durum calcavimus aequor,	
Undaque non udo sub pede summa fuit.	40
Si tibi tale fretum quondam, Leandre, fuisset,	
Non foret angustae mors tua crimen aquae.	
Tum neque se pandi possunt delphines in auras	
Tollere ; conantes dura coercet hiems.	
Et quamvis boreas iactatis insonet alis,	45
Fluctus in obsesso gurgite nullus erit ;	
Inclusaeque gelu stabunt in marmore puppes,	
Nec poterit rigidas findere remus aquas.	
Vidimus in glacie pisces haerere ligatos,	
Sed pars ex illis tunc quoque viva fuit.	50
Sive igitur nimii boreae vis saeva marinas,	



Sive redundatas flumine cogit aquas,  
 Protinus, aequato siccis aquilonibus Histro,  
 Invehitur celeri barbarus hostis equo,  
 Hostis equo pollens longeque volante sagitta 55  
 Vicinam late depopulatur humum.  
 Diffugiunt alii, nullisque tuentibus agros  
 Incustoditae diripiuntur opes,  
 Ruris opes parvae, pecus et stridentia plaustra  
 Et quas divitias incola pauper habet. 60  
 Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis,  
 Respiciens frustra rura laremque suum,  
 Pars cadit hamatis misere confixa sagittis :  
 Nam volucris ferro tinctile virus inest. 65  
 Quae nequeunt secum ferre aut abducere, perdunt,  
 Et cremat insontes hostica flamma casas.  
 Tunc quoque, cum pax est, trepidant formidine belli,  
 Nec quisquam presso vomere sulcat humum.  
 Aut videt aut metuit locus hic, quem non videt, hostem,  
 Cessat iners rigido terra relicta situ. 70  
 Non hic pampinea dulcis latet uva sub umbra,  
 Nec cumulant altos fervida musta lacus.  
 Poma negat regio. Nec haberet Acontius, in quo  
 Scriberet hic dominae verba legenda suae.  
 Aspiceres nudos sine fronde, sine arbore campos : 75  
 Heu loca felici non adeunda viro!  
 Ergo tam late pateat cum maximus orbis,  
 Haec est in poenam terra reperta meam.

## LIBER QUARTUS

### X

#### Amintiri

Ille ego qui fuerim, tenerorum lusor amorum,  
 Quem legis, ut noris, accipe posteritas.  
 Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,  
 Milia qui novies distat ab Urbe decem.  
 Editus hic ego sum; nec non ut tempora noris, 5  
 Cum cecidit fato consul uterque pari.  
 Siquis id est, usque a proavis vetus ordinis heres,

Non modo fortunae munere factus eques. Nec stirps prima fui; genito sum fratre creatus, Qui tribus ante quater mensibus ortus erat.	10
Lucifer amborum natalibus affuit idem; Una celebrata est per duo liba dies: Haec est armiferae festis de quinque Minervae, Quae fieri pugna prima cruenta solet.	
Protinus excolimur teneri, curaque parentis Imus ad insignes Urbis ab arte viros. Frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo, Fortia verbosi natus ad arma fori; At mihi iam puero caelestia sacra placebant, Inque suum furtim Musa trahebat opus.	15
Saepe pater dixit „Studium quid inutile temptas? Maconides nullas ipse reliquit opes.“ Motus eram dictis, totoque Helicone relicto Scribere temptabam verba soluta modis. Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos, Et quod temptabam scribere, versus erat.	20
Interea tacito passu labentibus annis Liberior fratri sumpta mihique toga est, Induiturque umeris cum lato purpura clavo, Et studium nobis, quod fuit ante, manet.	25
Iamque decem vitae frater geminaverat annos, Cum perit, et coepi parte carere mei. Cepimus et tenerae primos aetatis honores, Eque viris quondam pars tribus una fui.	30
Curia restabat. Clavi mensura coacta est: Maius erat nostris viribus illud onus. Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori, Sollicitaeque fugax ambitionis eram, Et petere Aoniae suadebant tuta sorores Otia, iudicio semper amata meo.	35
Temporis illius colui fovique poetas, Quotque aderant vates, rebar adesse deos. Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo, Quaeque nocet serpens, quae iuvat herba, Macer.	40
Iure sodalitiis, quo mihi iunctus erat. Ponticus heros, Bassus quoque clarus iambis Dulcia convictus membra fuere mei; Et tenuit nostras numerosus Horatius aures, Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.	45
Vergilium vidi tantum; nec amara Tibullo Tempus amicitiae fata dedere meae. Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi; Quartus ab his serie temporis ipse fui Utque ego maiores, sic me coluere minores, Notaque non tarde facta Thalia mea est.	50
	55

Carmina cum primum populo iuvenalia legi, Barba resecta mihi bisve semelve fuit. Moverat ingenium totam cantata per Urbem Nomine non vero dicta Corinna mihi. Multa quidem scripsi, sed quae vitiosa putavi, Emendaturis ignibus ipse dedi.	60
Tunc quoque, cum fugerem, quaedam placitura cremavi, Iratu studio carminibusque meis. Molle Cupidineis nec inexpugnabile telis Cor mihi, quodque levis causa moveret, erat.	65
Cum tamen hic essem, minimoque accenderer igni, Nomine sub nostro fabula nulla fuit. Paene mihi puero nec digna nec utilis uxor Est data, quae tempus per breve nupta fuit.	70
Illi successit, quamvis sine crimine coniunx, Non tamen in nostro firma futura toro. Ultima, quae mecum seros permansit in annos, Sustinuit coniunx exulis esse viri. Filia me mea bis prima fecunda iuventa, Sed non ex uno coniuge, fecit avum.	75
Et iam complerat genitor sua fata, novemque Addiderat lustris altera lustra novem. Non aliter flevi, quam me fleturus ademptum Ille fuit. Matri proxima iusta tuli Felices ambo tempestiveque sepulti, Ante diem poenae quod periere meae!	80
Me quoque felicem, quod non viventibus illis Sum miser, et de me quod doluere nihil! Si tamen extinctis aliquid nisi nomina restant, Et gracilis structos effugit umbra rogos :	85
Fama parentales, si vos mea contigit umbrae Et sunt in Stygio crimina nostra foro : Scite, precor, causam — nec vos mihi fallere fas est —	
Errorem iussae, non scelus, esse fugae. Manibus hoc satis est. Ad vos, studiosa, revertor, Pectora, quae vitae quaeritis acta meae. Iam mihi canities pulsus melioribus annis Venerat, antiquas miscueratque comas, Postque meos ortus Pisaea vinctus oliva, Abstulerat decies praemia victor eques,	90
Cum maris Euxini positos ad laeva Tomitas Quaerere me laesi principis ira iubet. Causa meae cunctis nimium quoque nota ruinae Indicio non est testificanda meo.	95
Quid referam comitumque nefas famulosque nocentes? Ipsa multa tuli non leviora fuga.	100



Indignata malis mens est succumbere, seque  
 Praestitit invictam, viribus usa suis;  
 Oblitusque mei ductaeque per otia vitae  
 Insolita cepi temporis arma manu. 105  
 Totque tuli casus pelago terraque, quot inter  
 Occultum stellae conspicuumque polum.  
 Tacta mihi tandem longis erroribus acto  
 Iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis.  
 Hic ego finitimis quamvis circumsoner armis, 110  
 Tristia, quo possum, carmine fata levo.  
 Quod quamvis nemo est, cuius referatur ad aures,  
 Sic tamen absumo decipioque diem.  
 Ergo quod vivo, durisque laboribus obsto,  
 Nec me sollicitae taedia lucis habent, 115  
 Gratia, Musa, tibi! nam tu solacis praebes,  
 Tu curae requies, tu medicina venis.  
 Tu dux et comes es; tu nos abducis ab Histro,  
 In medioque mihi das Helicone locum;  
 Tu mihi, quod rarum est, vivo sublime dedisti 120  
 Nomen, ab exequiis quod dare fama solet.  
 Nam tulerint magnos cum saecula nostra poetas, 125  
 Non fuit ingenio fama maligna meo,  
 Cumque ego praeponam multos mihi, non minor illis  
 Dicor et in toto plurimus orbe legor.  
 Siquid habent igitur vatum praesagia veri,  
 Protinus ut moriar, non ero, terra, tuus.  
 Sive favore tuli, sive hanc ego carmine famam,  
 Iure tibi grates, candide lector, ago. 130

# *Titus Livius Patavinus*

(59 i.e.n. — 17 e.n.)

## AB URBE CONDITA

### LIBER PRIMUS

#### Horatii și Curiații

**XXIV.** 1. Forte in duobus tum exercitibus erant trigemini fratres nec aetate nec viribus disparet. Horatios Curiatiosque fuisse satis constat, nec ferme res antiqua alia est nobilior; tamen in re tam clara nominum error manet, utrius populi Horatii, utrius Curiatii fuerint. Auctores utroque trahunt; plures tamen invenio, qui Romanos Horatios vocent; hos ut sequar, inclinatus animus. Cum trigeminis agunt reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro: ibi imperium fore, unde victoria fuerit. Nihil recusatur; tempus et locus convenit. 3. Priusquam dimicarent, foedus ictum inter Romanos et Albanos est his legibus, ut, cuius populi cives eo certamine vicissent, is altero populo cum bona pace imperitaret. Foedera alia aliis legibus, ceterum eodem



modo omni fiunt. 4. Tum ita factum accepimus, nec ullius vetustior foederis memoria est. Fetialis regem Tullum ita rogavit : „iubesne me, rex, cum patre patrato populi Albani foedus ferire?“ iubente rege „sagmina“ inquit „te rex, posco“. 5. Rex ait : „puram tollito“. Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit. Postea regem ita rogavit : „rex, facisne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium, vasa comitesque meos?“ rex respondit : „quod sine fraude mea populique Romani Quiritium fiat, facio“. 6. Fetialis erat M. Valerius; is patrem patratum Spurium Fusium fecit verbena caput capillosque tangens. Pater patratus ad ius iurandum patrandum id est sanciendum fit foedus multisque id verbis, quae longo effata carmine non operae est referre peragit. 7. Legibus deinde recitatis „audi“ inquit, „Iuppiter, audi, pater patrato populi Albani, audi tu, populus Albanus : ut illa palam prima postrema ex illis fabulis cerave recitata sunt sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. 8. Si prior defexit publico consilio dolo malo, tum illo die, Iuppiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hic hodie feriam; tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque. 9. Id ubi dixit, porcum saxo silico percussit. Sua item carmina Albani suumque ius iurandum per suum dictatorem suosque sacerdotes peregerunt.

**XXV.** 1. Foedere icto trigemini, sicut convenerat, arma capiunt. Cum sui utrosque adhortarentur, deos patrios, patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus, feroces et suoapte ingenio et pleni adhortantium vocibus in medium inter duas acies procedunt. 2. Consederant utrimque pro castris duo exercitus periculi magis praesentis quam curae expertes; quippe imperium agebatur in tam paucorum virtute atque fortuna positum. Itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum animos intendunt. 3. Datur signum, infestisque armis velut acies terni iuvenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt. Nec his nec illis periculum suum, publicum imperium servitiumque obversatur animo futuraque ea deinde patriae fortuna, quam ipsi fecissent. 4. Ut primo statim concursu increpuere arma micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantis perstringit; et neutro inclinata spe torpebat vox spiritusque. 5. Consertis deinde manibus cum iam non motus tantum corporum agitatioque anceps telorum armorumque sed vulnera quoque et sanguis spectaculo essent, duo Romani, super alium alius, vulneratis tribus Albanis, exspirantes corruerunt. 6. Ad quorum casum cum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones iam spes tota, nondum tamen cura deseruerat, exanimis vice unius, quem tres Curiatii circumsteterant. 7. Forte is integer fuit, ut universis solus nequaquam par, sic adversus singulos ferox. Ergo, ut segregaret pugnam eorum, capessit fugam, ita ratus secuturos, ut quemque vulnere adfectum corpus sineret. 8. Iam aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat, cum respiciens videt magnis intervallis sequentes, unum haud procul ab sese abesse. 9. In eum magno impetu rediit; et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis ut opem ferant fratri, iam Horatius caeso hoste victor secundam pugnam petebat. Tunc clamore, qualis ex insperato faventium solet, Romani adiuvant militem suum; et ille defungi proelio festinat. 10.



Prius itaque, quam alter, qui nec procul aberat, consequi posset, et alterum Curiatium conficit; 11. iamque aequato Marte singuli supererant, sed nec spe nec viribus pares. Alterum intactum ferro corpus et geminata victoria ferocem in certamen tertium dabat; alter fessum vulnerem, fessum cursu trahens corpus victusque fratrum ante se strage victori obicitur hosti. 12. Nec illud proelium fuit. Romanus exultans „duos“ inquit „fratrum Manibus dedi; tertium causae belli huiusce, ut Romanus Albano imperat, dabo“. Male sustinenti arma gladium superne iugulo defigit; iacente, spoliatur. 13. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt eo maiore cum gaudio, quo prope metum res fuerat. Ad sepulturam inde suorum nequaquam paribus animis vertuntur, quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienae facti. 14. Sepulcra extant, quo quisque loco cecidit, duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romam versus, sed distantia locis, ut et pugnatum est.

**XXVI.** 1. Priusquam inde digrederentur, roganti Mettius, ex foedere icto quid imperaret, imperat Tullus, uti iuventutem in armis habeat; usurum se eorum opera, si bellum cum Veientibus foret. Ita exercitus inde domos abducti. 2. Princeps Horatius ibat trigemina spolia prae se gerens; cui soror virgo quae desponsa uni ex Curiatii fuerat, obvia ante portam Capenam fuit; cognitoque super umeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat solvit crines et flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. 3. Movet feroci iuveni animum conploratio sororis in victoria sua tantoque gaudio publico. Stricto itaque gladio simul verbis increpans transfigit puellam. 4. „Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum“ inquit, „oblita fratrum mortuorum vivique, oblita patriae. Sic eat, quaecumque Romana lugebit hostem“. 5. Atrox visum id facinus patribus plebique, sed recens meritum facto obstabat. Tamen raptum in ius ad regem. Rex, ne ipse tam tristis ingratiue ad vulgus iudicii ac secundum iudicium supplicii auctor esset, concilio populi advocato „duumviro“ inquit, „qui Horatio perduellionem iudicent, secundum legem facio“. 6. Lex horrendi carminis erat: duumviri perduellionem iudicent; si a duumviris provocarit, provocatione certato; si vincent, caput obnubito; infelici arbori reste suspendito; verberato vel intra pomerium vel extra pomerium. 7. Hac lege duumviri creati; qui se absolvere non rebantur ea lege ne innoxium quidem posse, cum condemnassent, tum alter ax iis „Publi Horati, tibi perduellionem iudico“ inquit. 8. I, lictor, conliga manus“. Accesserat lictor inicibatque laqueum. Tum Horatius auctore Tullo, clemente legis interprete, „provoco“ inquit. Ita (de) provocatione certatum ad populum est. 9. Moti homines sunt in eo iudicio maxime P. Horatio patre proclamante se filiam iure caesam iudicare; ni ita esset, patrio iure in filium animadversurum fuisse. Orabat deinde, ne se, quem paulo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbem liberis facerent. 10. Inter haec senex iuvenem amplexus, spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc pila Horatia appellatur, ostentans „huncine“ aiebat, „quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. 11. I lictor, conliga manus, quae paulo ante armatae imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis huius, arbore infelici suspende,

verbera vel intra pomerium, modo inter illa pila et spolia hostium vel extra pomerium, modo inter sepulcra Curiatorum. Quo enim ducere hunc iuvenem potestis, ubi non sua decora cum a tanta foeditate supplicii vindicent?" 12. Non tulit populus nec patris lacrimas nec ipsius parem in omni periculo animum, absolveruntque admiratione magis virtutis quam iure causae. Itaque, ut caedes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri, ut filium expiaret pecunia publica. 13. Is quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quae deinde genti Horatiae tradita sunt, transmissa per viam tigillo capite adoperto velut sub iugum misit iuvenem. Id hodie quoque publice semper refectum manet; sororium tigillum vocant. 14. Horatiae sepulcrum, quo loco corruerat icta, constructum est saxo quadrato.

## LIBER VICESIMUS QUINTUS

### Moartea lui Archimede

XXXI. 8. Diripienda militi data Achradina est, custodibus divisim per domos eorum qui intra praesidia Romana fuerant. 9. Cum multa irae, multa avaritiae foeda exempla ederentur, Archimedes memoriae proditum est in tanto tumultu quantum pavor captae urbis in discursu diripientium militum cedere poterat intentum formis quas in pulvere descripserat, ab ignaro milite quis esset interfectum; 10. aegre id Marcellum tulisse, sepulturaeque curam habitam et propinquis etiam inquisitis honori praesidioque nomen ac memoriam eius fuisse. 11. Hoc maxime modo Syracusae captae; in quibus praedae tantum fuit quantum vix capta Carthagine tum fuisset cum viribus aequis certabatur,

## LIBER CENTESIMUS VICESIMUS

### Moartea lui Cícero

M. Cicero sub adventum triumvirorum urbe cesserat, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se quam Caesari Cassium et Brutum posse. Primo in Tusculanum fugerat; inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Caieta navem conscensurus, proficiscitur. Unde aliquoties in altum provectum cum modo venti adversi rettulissent, modo ipse iactationem navis, caeco volvente fluctu, pati non posset, taedium tandem eum et fugae et vitae cepit; regressusque ad superiorem villam, quae paulo plus mille passibus a mari abest: „Moriar, inquit, in patria saepe servata“. Satis constat



servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum, ipsum deponi lecticam et quietos pati quod sors iniqua cogeret iussisse. Prominenti ex lectica praebentique immotam cervicem caput praecisum est. Nec satis id stolidae crudelitati militum fuit; manus quoque, scripsisse in Antonium exprobrantes, praeciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, iussuque eius inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium quanta nulla unquam humana vox cum admiratione eloquentiae auditus fuerat. Vix attollentes prae lacrimis oculos homines intueri trucidati membra civis poterant.

Vixit tres et sexaginta annos, ut, si vis afuisset, ne immatura quidem mors videri possit. Ingenium et operibus et praemiis operum felix; ipse fortunae diu prosperae et in longo tenore felicitatis magnis interim ictus vulneribus, exsilio, ruina partium pro quibus steterat, filiae exitu tam tristi atque acerbo, omnium adversorum nihil ut viro dignum erat tulit praeter mortem; quae vere aestimanti minus indigna videri potuit, quod a victore inimico nihil crudelius passus erat quam quod eiusdem fortunae compos victo fecisset. Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus ac memorabilis fuit et in cuius laudes exsequendas Cicerone laudatore opus fuerit.



*C. Julius Phaedrus*

(sec. I e.n.)

**FABULAE AESOPICAE**

**LIBER PRIMUS**

**I**

**Lupus et Agnus**

Ad rivum eundem Lupus et Agnus venerant,  
Siti compulsi : superior stabat Lupus,  
Longeque inferior Agnus. Tunc fauce improba  
Latro incitatus, iurgii causam intulit :  
„Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi  
Aquam bibenti?“ Laniger contra timens :  
„Qui possum, quaeso, facere quod quereris, Lupe?

5

A te decurrit ad meos haustus liquor.“  
 Repulsus ille veritatis viribus :  
 „Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi“ . 10  
 Respondit Agnus : „Equidem natus non eram“ .  
 — „Pater, hercule! tuus, inquit, maledixit mihi“ .  
 Atque ita correptum lacerat iniusta nece.  
 Haec propter illos scripta est homines fabula,  
 Qui fictis causis innocentes opprimunt.

## VI

## Ranae ad Solem

Vicini furis celebres vidit nuptias  
 Aesopus, et continuo narrare incipit :  
 Uxorem quondam Sol quum vellet ducere,  
 Clamorem Ranae sustulere ad sidera.  
 Convicio permotus quaerit Iuppiter 5  
 Causam querelae. Quaedam tum stagni incola :  
 „Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,  
 Cogitque miseris arida sede emori ;  
 Quidnam futurum est, si crearit liberos!“

## XII

## Cervus ad Fontem

Laudatis utiliora quae contempseris  
 Saepe inveniri, haec exserit narratio.  
 Ad fontem Cervus, quum bibisset, restitit,  
 Et in liquore vidit effigiem suam.  
 Ibi dum ramosa mirans laudat cornua, 5  
 Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,  
 Venantum subito vocibus conterritus,  
 Per campos fugere coepit, et cursu levi  
 Canes elusit. Silva tum excepit ferum :  
 In qua, retentis impeditus cornibus, 10  
 Lacerari coepit morsibus saevis canum.  
 Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur :  
 „O me infelicem, qui nunc demum intelligo  
 Ut illa mihi profuerint quae despexeram,  
 Et, quae laudaram, quantum luctus habuerint! 15

## XV

**Asinus ad senem Pastorem**

In principatu commutando civium  
 Nil, praeter domini nomen, mutant pauperes.  
 Id esse verum, parva haec fabella indicat.

Asellum in prato timidus pascebat Senex :  
 Is, hostium clamore subito territus, 5  
 Suadebat Asino fugere, ne possent capi.  
 At ille lentus : „Quaeso, num binas mihi  
 Clitellas impositurum victorem putas?“  
 Senex negavit : „Ergo quid refert mea  
 Cui serviam, clitellas dum portem meas?“ 10

## XXVI

**Vulpes et Ciconia**

Nulli nocendum; si quis vero laeserit,  
 Multandum simili iure fabula admonet.

Vulpes ad coenam dicitur Ciconiam  
 Prior invitasse, et illi in patina liquidam  
 Posuisse sorbitionem, quam nullo modo 5  
 Gustare esuriens potuerit Ciconia.  
 Quae Vulpem quum revocasset, intrito cibo  
 Plenam lagenam posuit : huic rostrum inserens  
 Satiatur ipsa, et torquet convivam fame.  
 Quae quum lagenae collum frustra lamberet, 10  
 Peregrinam sic locutam volucrem accepimus :  
 „Sua quisque exempla debet aequo animo pati“.

## XXVIII

**Vulpes et Aquila**

Quamvis sublimes, debent humiles metuere,  
 Vindicta docili quia patet solertiae.

Vulpines catulos Aquila quondam sustulit,  
 Nidoque posuit pullis, escam ut carperent.  
 Hanc persecuta mater orare incipit, 5  
 Ne tantum miserae luctum importaret sibi.



Contempsit illa tuta quippe ipso loco.  
 Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,  
 Totamque flammis arborem circumdedit,  
 Hostis dolorem damno miscens sanguinis. 10  
 Aquila, ut periculo mortis eriperet suos,  
 Incolumes natos supplex Vulpi reddidit.

## LIBER SECUNDUS

### VI

#### Aquila, Cornix et Testudo

Contra potentes nemo est munitus satis;  
 Si vero accessit consiliator maleficus,  
 Vis et nequitia quidquid oppugnant, ruit.  
 Aquila in sublime sustulit Testudinem;  
 Quae quum abdidisset cornea corpus domo, 5  
 Nec ullo pacto laedi posset condita,  
 Venit per auras Cornix, et propter volans:  
 „Opimam sane praedam rapuisti unguibus;  
 Sed nisi monstraro quid sit faciendum tibi,  
 Gravi nequidquam te lassabit pondere“.  
 Promissa parte, suadet ut scopulum super 10  
 Altis ab astris duram illidat corticem,  
 Qua comminuta, facili vescatur cibo.  
 Inducta verbis Aquila monitis paruit,  
 Simul et magistrae large divisit dapem. 15  
 Sic, tuta quae naturae fuerat munere,  
 Impar duabus occidit tristi nece.

### VII

#### Muli et Latrones

Muli gravati sarcinis ibant duo:  
 Unus ferebat fiscos cum pecunia  
 Alter tumentes multo saccos hordeo.  
 Ille, onere dives celsa cervice eminent,  
 Clarumque collo iactat tintinnabulum;  
 Comes quieto sequitur et placido gradu.

Subito Latrones ex insidiis advolant,  
 Interque caedem ferro Mullum tunsitant,  
 Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.  
 Spoliatus igitur casus quum fleret suos : 10  
 „Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo ;  
 Nam nihil amisi, nec sum laesus vulnere“.  
 Hoc argumento tuta est hominum tenuitas.  
 Magnas periclo sunt opes obnoxiae.

### EPILOGUS

Aesopi ingenio statuam posuere Attici,  
 Servumque collocarunt aeterna in basi,  
 Patere honoris scirent ut cunctis viam,  
 Nec generi tribui, sed virtuti, gloriam.  
 Quoniam occuparat alter ne primus forem, 5  
 Ne solus esset studui, quod superfuit.  
 Nec haec invidia, verum est aemulatio.  
 Quod si labori favorit Latium meo,  
 Plures habebit, quos opponat Graeciae. 10  
 Sin livor obtrectare curam voluerit,  
 Non tamen eripiet laudis conscientiam.  
 Si nostrum studium ad aures pervenit tuas,  
 Et arte fictas animus sentit fabulas,  
 Omnem querelam submovet felicitas :  
 Sin autem et illis doctus occurrit labor, 14  
 Sinistra quos in lucem natura extulit,  
 Nec quidquam possunt, nisi meliores carpere,  
 Fatale exitium corde durato feram,  
 Donec fortunam criminis pudeat sui.

### LIBER TERTIUS

#### PROLOGUS

Nunc, fabularum cur sit inventum genus,  
 Brevi docebo. Servitus obnoxia,  
 Quia quae volebat non audebat dicere, 35  
 Affectus proprios in fabellas transtulit,  
 Calumniamque fictis elusit iocis.  
 Ego illius pro semita feci viam,  
 Et cogitavi plura quam reliquerat,  
 In calamitatem deligens quaedam meam. 40  
 Quod si accusator alius Seiano foret,

Si testis alius, iudex alius denique,  
 Dignum faterer esse me tantis malis,  
 Nec his dolorem delenirem remediis.  
 Suscipione si quis errabit sua, 45  
 Et rapiet ad se quod erit commune omnium,  
 Stulte nudabit animi conscientiam.  
 Huic excusatum me velim nihilominus;  
 Neque enim notare singulos mens est mihi,  
 Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere. 50  
 Rem me professum dicet fors aliquis gravem.  
 Phrygi si fas Aesopo, si Anacharsi Scythae  
 Aeternam famam condere ingenio suo,  
 Ego litteratae qui sum propior Graeciae,  
 Cur somno inertis deseram patriae decus, 55  
 Threissa quum gens numeret auctores suos,  
 Linoque Apollo sit parens, Musa Orptheo,  
 Qui saxa cantu movit, et domuit feras,  
 Hebrique tenuit impetus dulci mora?  
 Ergo hinc abesto, Livor; ne frustra gemas, 60  
 Quoniam solennis mihi debetur gloria.  
 Induxi te ad legendum: sincerum mihi  
 Candore noto reddas iudicium peto.

## I

**Anus ad amphoram**

Anus iacere vidit epotam Amphoram,  
 Adhuc Falerna faece et testa nobili  
 Odorem quae iucundum late spargeret.  
 Hunc postquam totis avida traxit naribus:  
 „O suavis anima! quale in te dicam bonum 5  
 Antehac fuisse, tales quum sint reliquiae?“  
 Hoc quo pertineat, dicet qui me noverit.

## VII

**Canis et Lupus**

Quam dulcis sit libertas breviter proloquar.  
 Cani perpasto macie confectus Lupus  
 Forte occurrit. Salutantes dein invicem



Ut restiterunt : „Unde sic, quaeso, nites?  
 Aut quo cibo fecisti tantum corporis?  
 Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.“  
 Canis simpliciter : „Eadem est conditio tibi,  
 Praestare domino si par officium potes.  
 — Quod? inquit ille. — Custos ut sis liminis,  
 A furibus tuearis et noctu domum. 10  
 — Ego vero sum paratus : nunc patior nives  
 Imbresque, in silvis asperam vitam trahens;  
 Quanto est facilius mihi sub tecto vivere,  
 Et otiosum largo satiari cibo!  
 — Veni ergo mecum”. Dum procedunt, adspicit 15  
 Lupus a catena collum detritum Cani :  
 „Unde hoc, amice? — Nihil est — Dic, quaeso, tamen.  
 — Quia videor acer, alligant me interdium,  
 Luce ut quiescam et vigilem nox quum venerit :  
 Crepusculo solutus, qua visum est vagor. 20  
 Affertur ultro panis; de mensa sua  
 Dat ossa dominus, frustra iactat familia,  
 Et quod fastidit quisque pulmentarium.  
 Sic sine labore venter impletur meus.  
 — Age, si quo abire est animus, est licentia? 25  
 — Non plane est, inquit. — Fruere quae laudes, Canis;  
 Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

## LIBER QUARTUS

### IX

#### Vulpes et Hircus

Homo in periculum simul ac venit callidus,  
 Reperire effugium quaerit alterius malo.  
 Quum decidisset Vulpes in puteum inscia,  
 Et altiore clauderetur margine,  
 Devenit Hircus sitiens in eundem locum; 5  
 Simul rogavit, esset an dulcis liquor  
 Et copiosus. Illa, fraudem moliens :  
 „Descende, amice : tanta bonitas est aquae,  
 Ut non voluptas satiari possit mea.  
 Immisit se Barbatus. Tum Vulpecula 10  
 Evasit puteo, nixa celsis cornibus,  
 Hircumque clauso liquit haerentem vado.

## XII

**Hercules et Plutus**

Opes invisae merito sunt forti viro,  
Quia dives arca veram laudem intercipit.  
Caelo receptus propter virtutem Hercules,  
Quum gratulantes persalutasset Deos,  
Veniente Pluto, qui Fortunae est filius,  
Avertit oculos. Causam quaesivit pater :  
„Odi, inquit, illum quia malis amicus est,  
Simulque obiecto cuncta corrumpit lucro“.

5

# *L. Annaeus Seneca*

(cca. 1 i.e.n. — 65 e.n.)

## **EPISTULAE AD LUCILIUM**

### **LIBER PRIMUS**

#### **II**

1. Ex iis quae mihi scribis et ex iis quae audio, bonam spem de te concipio : non discurreis nec locorum mutationibus inquietaris. Aegri animi ista iactatio est. Primum argumentum compositae mentis existimo posse consistere et secum morari. 2. Illud autem vide, ne ista lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum habeat aliquid vagum et instabile : certis ingeniis immorari et innutrirī oportet, si vis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est. Vitam in peregrinatione exigentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias : idem accidat necesse



est iis qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim et prope-  
rantes transmittunt. 3. Non prodest cibus nec corpori accedit, qui statim  
sumptus emittitur; nihil aequae sanitatem impedit quam remediorum crebra  
mutatio; non venit vulnus ad cicatricem in quo medicamenta tentantur;  
non convalescit planta quae saepe transfertur: nihil tam utile est, ut in transitu  
prosit. Distinguit librorum multitudo; itaque cum legere non possis quantum  
habueris, satis est habere quantum legas. 4. „Sed modo“, inquis, „hunc  
librum evolvere volo, modo illum“. Fastidientis stomachi est multa degustare,  
quae ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper  
lege, et si quando ad alios diverti libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie  
adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxilium compara, nec  
minus adversus ceteras pestes: et cum multa percurreris, unum excerpe, quod  
illo die concoquas. 5. Hoc ipse quoque facio: ex pluribus quae legaliquid  
apprehendo. Hodiernum hoc est, quod apud Epicurum nactus sum (soleo  
enim et in aliena castra transire, non tamquam transfuga, sed tamquam  
explorator): „Honesta“, inquit, „res est laeta paupertas.“ 6. Illa veronon  
est paupertas, si laeta est: cui cum paupertate bene convenit, dives est; non  
qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert quantum  
illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum pascat aut faeneret, si alieno  
imminet, si non acquisita, sed acquirenda computat? Quis sit divitiarum  
modus quaeris? Primus, habere quod necesse est: proximus, quod sat est. Vale.

## LIBER QUINTUS

### VI (XLVII)

1. Libenter ex his, qui a te veniunt, cognovi familiariter te cum servis  
tuis vivere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. „Servi sunt“.  
Immo homines. „Servi sunt“. Immo contubernales. „Servi sunt“. Immo con-  
servi, si cogitaveris tantumdem in utrosque licere fortunae. 2. Itaque rideo  
istos, qui turpe existimant cum servo suo cenare. Quare? nisi quia superbis-  
sima consuetudo cenanti domino stantium servorum turbam circumdedit.  
Est ille plus quam capit... At infelicibus servis movere labra ne in hoc quidem,  
ut loquantur, licet; virga murmur omne compescitur et ne fortuita quidem  
verberibus excepta sunt, tussis, sternumenta, singultus; magno malo ulla  
voce interpellatum silentium luitur: nocte tota ieiuni mutique perstant..  
6. Vis tu cogitare istum, quem servum tuum vocas, ex iisdem seminibus  
ortum, eodem frui caelo, aequae spirare, aequae vivere, aequae mori? Tam tu  
illum videre ingenuum potes quam ille te servum. Variana clade multos splen-  
didissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depres-  
sit: alium ex illis pastorem, alium custodem casae fecit. Contemne nunc eius

fortunae hominem, in quam transire, dum contemnis, potes. 7. Nolo in ingen-tem me locum immittere et de usu servorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus. Haec tamen praecepti mei summa est : sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiorem velis vivere... 8. Vive cum servo clementer, comiter quoque : et in sermonem illum admitte et in consilium et in convictum. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum : „Nihil hac re humilius, nihil turpius“. Hos ego eosdem deprehendam alienorum servorum osculantes manum. Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint? Dominum „patrem familiae „appellaverunt, servos, quod etiam in mimis adhuc durat, „familiares“... 10. Non est, mi Lucili, quod amicum tantum in foro et in curia quaeras : si diligenter attenderis, et domi invenies. Saepe bona materia cessat sine artifice : tenta et experire. Quemadmodum stultus est, qui equum empturus non ipsum equum inspicit, sed stratum eius ac frenos, sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste aut ex condicione, quae vestis modo nobis circumdata est, aestimat. 11. „Servus est“. Sed fortasse libero animo. „Servus est“. Hoc illi nocebit? ostende, quis non sit : alius libidini servit, „alios avaritiae, alios ambitioni, omnes timori. Dabo consularem aniculae servientem, dabo ancillulae divitem : nulla servitus turpior est quam voluntaria. Quare non est quod fastidiosi isti te deterreant, quo minus servis tuis hilarem te praestes et non superbe superiorem : colant potius te quam timeant. 12. Dicit aliquis nunc me vocare ad pileum servos et dominos de fastigio suo deicere, quod dixi : „Colant potius dominum quam timeant“. „Ita“, inquit, „prorsus colant tamquam clientes, tamquam salutatores?“ Hoc qui dixerit, obliviscetur id dominis parum non esse, quod deo sat est. Qui colitur, et amatur : potest amor cum timore misceri. 13. Rectissime ergo facere te iudico, quod timeri a servis tuis non vis, quod verborum castigatione uteris : verberibus muta admonentur. Non quicquid nos offendit, et laedit ; sed ad rabiem nos cogunt pervenire deliciae, ut quicquid non ex voluntate respondet, iram evocet. Regum nobis induimus animos : nam illi quoque obliti et suarum virum et imbecillitatis alienae sic excandescunt, sic saeviunt, quasi iniuriam acceperint ; a cuius rei periculo illos fortunae suae magnitudo tutissimos praestat. Nec hoc ignorant, sed occasionem nocendi captant querendo : acceperunt iniuriam ut facerent. 14. Diutius te morari nolo ; non est enim tibi exhortatione opus. Hoc habent inter cetera boni mores : placent sibi, permanent ; levis est malitia, saepe mutatur, non in melius, sed in aliud. Vale.

## TRAGOEDIAE

## HERCULES FURENS

## CHORUS

Iam rara micant sidera pronò languida mundo; nox victa vagos contrahit ignes luce renata, cogit nitidum Phosphoros agmen; signum celsi glaciale poli	125
septem stellis Arcades ursae lucem verso temone vocat. Iam caeruleis evector aquis Titan summa prospicit Oeta; iam Cadmeis incluta Bacchis aspersa die dumeta rubent	130
Phobique fugit reditura soror. Labor exoritur durus et omnis agitat curas aperitque domos. Pastor gelida cana pruina grege dimisso pabula carpit;	135
ludit prato liber aperto nondum rupta fronte iuventus, vacuae reparant ubera matres; errat cursu levis incerto mollis petulans haedus in herba;	140
pendet summo stridula ramo pennasque novo tradere soli gestit querulos inter nidos Thracia paelex turbaque circa confusa sonat murmure mixto testata diem.	145
Carbasa ventis credit dubius navita vitae, laxos aura complemente sinus. Hic exesis pendens scopulis aut deceptos instruit hamos aut suspensus	150
spectat pressa praemia dextra: sentit tremulum linea piscem. Haec, innocuae quibus est vitae tranquilla quies et laeta suo parvoque domus, spes et in agris.	155
Turbine magno spes sollicitae	160



urbibus errant trepidique metus.  
 Ille superbos aditus regum  
 durasque fores expers somni  
 colit, hic nullo fine beatas  
 componit opes gazis inhians  
 et congesto pauper in auro;  
 hic clamosi rabiosa fori  
 iurgia vendens improbus iras  
 et verba locat. Novit paucos  
 secura quies, qui velocis  
 memores aevi tempora numquam  
 reditura tenent. Dum fata sinunt  
 vivite laeti: properat cursu  
 vita citato volucrique die  
 rota praecipitis vertitur anni;  
 durae peragunt pensa sorores  
 nec sua retro fila revolvunt.

## MEDEA

### MEDEA, NUTRIX

MED. Occidimus, aures pepulit hymenaeus meas.  
 Vix ipsa tantum, vix adhuc credo malum.  
 Hoc facere Iason potuit, erepto patre  
 patria atque regno sedibus solam exteris  
 descrere duras? Merita contempsit mea  
 qui scelere flammis viderat vinci et mare?  
 Adeone credit omne consumptum nefas?  
 Incerta, vecors, mente vaesana feror  
 partes in omnes; unde me ulcisci queam?  
 Utinam esset illi frater! Est coniunx: in hanc  
 ferrum exigatur. Hoc meis satis est malis?  
 Si quod Pelasgae, si quod urbes barbarae  
 novere facinus quod tuae ignorent manus,  
 nunc est parandum. Scelera te hortentur tua  
 et cuncta redeant: inclitum regni decus  
 raptum et nefandae virginis parvus comes  
 divisus ense, funus ingestum patri  
 sparsumque ponto corpus et Peliae senis  
 decocta aeno membra: funestum impie  
 quam saepe fudi sanguinem et nullum scelus  
 irata feci: saevit infelix amor.  
 Quid tamen Iason potuit, alieni arbitri  
 iurisque factus? Debit ferrum obvium  
 offerre pectus: — melius, a melius, dolor

- furiose, loquere. Si potest, vivat meus 140  
 ut fuit Iason, si minus, vivat tamen  
 memorque nostri muneris, pereat mihi.  
 Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens  
 coniugia solvit quique genetricem abstrahit  
 gnatis et arto pignore astrictam fidem 145  
 dirimit: petatur solus hic, poenas luat  
 quas debet. Alto cinere cumulabo domum;  
 videbit atrum verticem flammis agi  
 Malea longas navibus flectens moras.
- NUTRIX Sile, obsecro, questusque secreto abditos 150  
 manda dolori. Gravia quisquis vulnera  
 patiente et aequo mutus animo pertulit,  
 referre potuit: ira quae tegitur nocet;  
 professa perdunt odia vindictae locum.
- MED. Levis est dolor qui capere consilium potest 155  
 et clepere sese: magna non latitant mala.  
 Libet ire contra.
- NUT. Siste furialem impetum, alumna: vix te tacita  
 defendit quies.
- MED. Fortuna fortes metuit, ignavos premit.
- NUT. Tunc est probanda, si locum virtus habet. 160
- MED. Numquam potest non esse virtuti locus.
- NUT. Spes nulla rebus monstrat adflictis viam.
- MED. Qui nil potest sperare, desperet nihil.
- NUT. Abiere Colchi, coniugis nulla est fides  
 nihilque superest opibus e tantis tibi. 165
- MED. Medea superest, hic mare et terras vides  
 ferrumque et ignes et deos et fulmina.
- NUT. Rex est timendus.
- MED. Rex meus fuerat pater.
- NUT. Non metuis arma?
- MED. Sint licet terra edita.
- NUT. Moriere.
- MED. Cupio.
- NUT. Profuge.
- MED. Paenituit fugae. 170
- NUT. Medea...
- MED. Fiam.
- NUT. Mater es.
- MED. Cui sim vides.
- NUT. Profugere dubitas?
- MED. Fugiam, at ulciscar prius.
- NUT. Vindex sequitur.
- MED. Forsan inveniam moras.
- NUT. Compesce verba, parce iam demens minis  
 animosque minue: tempori aptari decet. 175
- MED. Fortuna opes auferre, non animum potest.

## TROADES

## ULIXES, ANDROMACHA, ASTIANAX

- ULI. Matris quidem me macror attonitae movet,  
magis Pelasgae me tamen matres movent,  
quarum iste magnos crescit in luctus puer.
- AND. Has, has ruinas urbis in cinerem datae  
hic excitabit? Hae manus Troiam erigent? 740  
Nullas habet spes Troia, si tales habet.  
Non sic iacemus, Troes, ut cuiquam metus  
possimus esse. Spiritus genitor facit?  
Sed nempe tractus. Ipse post Troiam pater  
possuisset animos, magna quos frangunt mala. 745  
Si poena petitur (quae peti gravior potest?)  
famulare collo nobili subeat iugum,  
servire liceat. Aliquis hoc regi negat?
- ULI. Non hoc Ulixes sed negat Calchas tibi.
- AND. O machinator fraudis et scelerum artifex. 750  
virtute cuius bellica nemo occidit,  
dolis et astu maleficae mentis iacent  
etiam Pelasgi, vatem et insontes deos  
praetendis? Hoc est pectoris facinus tui.  
Nocturne miles, fortis in pueri necem, 755  
iam solus audes aliquid et claro die.
- ULI. Virtus Ulixis Danaidis nota est satis  
nimisque Phrygibus. Non vacat vanis diem  
conterere verbis: ancoras classis legit.
- AND. Brevem moram largire, dum officium parens 760  
nato supremum reddo et amplexu ultimo  
avidos dolores satio.
- ULI. Misereri tui  
utinam liceret! Quod tamen solum licet,  
tempus moramque, dabimus. Arbitrio tuo  
implere lacrimis: fletus aerumnas levat: 765
- AND. O dulce pignus, o decus lapsae domus  
summumque Troiae funus, o Danaum timer,  
genetricis o spes vana, cui demens ego  
laudes parentis bellicas, annos avi  
medios precabar, vota destituit deus. 770  
Iliaca non tu sceptrum regali potens  
gestabis aula, iura nec populis dabis  
victasque gentes sub tuum mittes iugum.  
non Graia caedes terga, non Pyrrhum trahes.  
Non arma tenera patria tractabis manu 775  
sparsasque passim saltibus latis feras



- audax sequeris nec stato lustris die,  
solemne referens Troici lusum sacrum,  
puer citatus nobilis turmas ages;  
non inter aras nobili velox pede, 780  
reboante flexo concitos cornu modos,  
barbarica prisca templa saltatu coles.  
O Marte diro tristius leti genus.  
Flebilius aliquid Hectoris magni nece  
muri videbunt.
- ULI. Rumpe iam fletus, parens : 785  
magnus sibi ipse non facit finem dolor.
- AND. Lacrimis, Ulixee, parva quam petimus mora est;  
concede parvos ut mea condam manu  
viventis oculos. Occidis parvus quidem,  
sed iam timendus. Troia te expectat tua. 790  
I, vade, liber, liberos Troas vide.
- AST. Miserere, mater.
- AND. Quid meos retines sinus  
manusque matris cassa praesidia occupas,  
fremitu leonis qualis audito tener  
timidum iuvenus applicat matri latus; 795  
at ille saevus matre summota leo  
praedam minorem morsibus vastis premens  
frangit vehitque; talis e nostro sinu  
te rapiet hostis. Oscula et fletus, puer,  
lacerosque crines excipe et plenus mei 800  
occurre patri; pauca maternae tamen  
perfer querelae verba : „Si manes habent  
curas priores nec perit flammis amor,  
servire. Graio pateris Andromachen viro,  
crudelis Hector? Lentus et segnis iaces? 805  
Redit Achilles. „Sume nunc iterum comas  
et sume lacrimas, quicquid e misero viri  
funere relictum est; sume quae reddas tuo  
oscula parenti. Matris hanc solacio  
relinque vestem : tumulus hanc tetigit meus 810  
manesque cari. Si quid hic cineris latet  
scrutabor ore.

## *C. Petronius Arbiter*

(? — 66 e.n.)

### SATIRICON

#### Decadența oratoriei

I. 1. „Num alio genere declamatores inquietantur, qui clamant : „haec vulnera pro libertate publica excepi; hunc oculum pro vobis impendi : date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos, nam succisi poplites membra non sustinent“? 2. Haec ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent. Nunc et rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt, ut cum in forum venerint, putent se in alium orbem terrarum delatos. 3. Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex his, quae in usu habemus, aut audiunt aut vident, sed piratas cum catenis in litore stantes, sed tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis ut patrum suorum capita praecidant, sed responsa in pestilentiam data, ut virgines tres aut plures immolentur, sed mellitos verborum globulos et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa. II. 1. Qui inter haec nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant. 2. Pace vestra liceat dixisse, primi omnium eloquentiam



perdidistis. Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quaedam excitando effecistis, ut corpus orationis enervaretur et caderet. 3. Nondum iuvenes declamationibus continebantur, cum Sophocles aut Euripides invenerunt verba quibus debent loqui. 4. Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, cum Pindarus novemque lyrici Homericis versibus canere timuerunt. 5. Et ne poetas (quidem) ad testimonium citem, certe neque Platona neque Demostenen ad hoc genus exercitationis accessisse video. 6. Grandis et ut ita dicam pudica oratio non est maculosa nec turgida, sed naturali pulchritudine exsurgit. 7. Nuper ventosa istaec et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit animosque iuvenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere afflavit, semelque corrupta regula eloquentia stetit et obmutuit. 8. Ad summam, quis postea Thucydidis, quis Hyperidis ad famam processit? ac ne carmen quidem sani coloris enituit, sed omnia quasi eodem cibo pasta non potuerunt usque ad senectutem canescere. 9. Pictura quoque non alium exitum fecit, postquam Aegyptiorum audacia tam magnae artis compendiariam invenit“.

III. 1. Non est passus Agamemnon me diutius declamare in porticu, quam ipse in schola sudaverat, sed „adulescens“ inquit „quoniam sermonem habes non publici saporis et, quod rarissimum est, amas bonam mentem non fraudabo te arte secreta. 2. Nihil nimirum in his exercitationibus doctores peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere. Nam nisi dixerint quae adolescentuli probent, ut ait Cicero, „soli in scholis relinquuntur“ 3. sicut (ficti) adulescentes cum cenas divitum captant, nihil prius meditantur quam id quod putant gratissimum auditoribus fore: nec enim aliter impetrabunt quod petunt, nisi quasdam insidias auribus fecerint: 4. sic eloquentiae magister, nisi tanquam piscator eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos, sine spe praedae morabitur in scopulo. IV. 1. Quid ergo est? parentes obiurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege proficere. 2. Primum enim sic ut omnia, spes quoque suas ambitioni donant. Deinde cum ad vota properant, cruda adhuc studia in forum pellunt et eloquentiam, qua nihil esse maius confitentur, pueris induunt adhuc nascentibus. 3. Quod si paterentur laborum gradus fieri, ut studiosi iuvenes lectione severa irrigarentur, ut sapientiae praeceptis animos componerent, ut verba atroci stilo effoderent, ut quod vellent imitari diu audirent, ut persuaderent sibi nihil esse magnificum, quod pueris placeret: iam illa grandis oratio haberet maiestatis suae pondus. 4. Nunc pueri in scholis ludunt, iuvenes ridentur in foro, et quod utroque turpius est, quod quisque perperam didicit, in senectute confiteri non vult.

### Ospățul lui Trimalchio

XXVIII. 1. Itaque intravimus balneum, et sudore calfacti momento temporis ad frigidam eximus. 2. Iam Trimalchio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex lana mollissima factis. 3. Tres interim iatraliptae in conspectu eius Falernum potabant, et cum plurimum rixantes effunderent, Trimalchio hoc suum propinasse dicebat. 4. Hinc involutus coccina gausapa lecticae impositus est praecedentibus phaleratis cursoribus quattuor et chira-



maxio, in quo deliciae eius vehebantur, puer vetulus, lippus, domino Trimalchione deformior. 5. Cum ergo auferretur, ad caput eius symphonicus cum minimis tibiis accessit et tanquam in aurem aliquid secreto diceret, toto itinere cantavit.

6. Sequimur nos admiratione iam saturi et cum Agamemnone ad ianuam pervenimus, in cuius poste libellus erat cum hac inscriptione fixus: 7. „quisquis servus sine dominico iussu foras exierit, accipiet plagas centum“. 8. In aditu autem ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo, atque in lance argentea pisum purgabat. 9. Super limen autem cavea pendeat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat.

**XXIX.** 1. Ceterum ego dum omnia stupeo, paene resupinatus crura mea fregi. Ad sinistram enim inrantibus non longe ab ostiarii cella canis ingens, catena vinctus, in pariete erat pictus superque quadrata littera scriptum „cave canem“. 2. Et collegae quidem mei riserunt, ego autem collecto spiritu non destiti totum parietem persequi. 3. Erat autem venalicium cum titulis pictum, et ipse Trimalchio capillatus caduceum tenebat Minervaque ducente Romam intrabat. 4. Hinc quemadmodum ratiocinari didicisset, denique dispensator factus esset, omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione rediderat. 5. In deficiente vero iam porticu levatum mento in tribunal excelsum Mercurius rapiebat. 6. Praesto erat Fortuna cornu abundantii copiosa et tres Parcae aurea pensa torquentes. 7. Notavi etiam in porticu gregem cursorum cum magistro se exercentem. 8. Præterea grande armarium in angulo vidi, in cuius aedicula erant Lares argentei positi Venerisque signum marmoreum et pyxis aurea non pusilla, in qua barbam ipsius conditam esse dicebant.

**XXX.** 1. Nos iam ad triclinium perveneramus, in cuius parte prima procurator rationes accipiebat. Et quod praecipue miratus sum, in postibus triclinii fasces cum securibus fixi, quorum unam partem quasi embolum navis aeneum finiebat, in quo erat scriptum: 2. „C. Pompeio Trimalchioni sevir Augustali, Cinnamus dispensator“. 3. Sub eodem titulo et lucerna bilychis de camera pendeat, et duae tabulae in utroque poste defixae, quarum altera, si bene memini, hoc habebat inscriptum: 4. „III et pridie kalendas Ianuarias Cenoster foras cenat“, altera lunae cursum stellarumque septem imagines pictas; et qui dies boni quique incommodi essent, distinguente bulla notabantur.

5. His repleti voluptatibus cum conaremur in triclinium intrare, exclamavit unus ex pueris, qui super hoc officium erat positus: 6. „dextro pede“. Sine dubio paulisper trepidavimus, ne contra praeceptum aliquis nostrum limen transiret. 7. Ceterum ut pariter movimus dextros gressus, servus nobis despoliatus procubuit ad pedes ac rogare coepit, ut se poenae eriperemus: nec magnum esse peccatum suum, propter quod periclitaretur; 8. subducta enim sibi vestimenta dispensatoris in balneo, quae vix fuissent decem sestertiorum. 9. Rettulimus ergo dextros pedes dispensatoremque in atrio aureos numerantem deprecati sumus, ut servo remitteret poenam. 10. Superbus

ille sustulit et „non tam iactura me movet „inquit“ quam negligentia nequissimi servi. 11. Vestimenta mea cubitoria perdidit, quae mihi natali meo cliens quidam donaverat, Tyria sine dubio, sed iam semel lota. Quid ergo est? dono vobis eum“.

**XXXI.** 1. Obligati tam grandi beneficio cum intrassemus triclinium, occurrit nobis ille idem servus, pro quo rogaveramus, et stupentibus spississima basia impegit gratias agens humanitati nostrae. 2. „Ad summam, statim scietis“ ait „cui dederitis beneficium. Vinum dominicum ministratoris gratia est“.

3. Tandem ergo discubuimus pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus aliisque insequentibus ad pedes ac apronychia cum ingenti subtilitate tollentibus. 4. Ac ne in hoc quidem tam molesto tacebant officio, sed obiter cantabant. 5. Ego experiri volui, an tota familia cantaret, itaque potionem poposci. 6. Paratissimus puer non minus me acido cantico excepit, et quisquis aliquid rogatus erat ut daret 7. pantomimi chorum, non patris familiae triclinium crederes. 8. Allata est tamen gustatio valde lauta; nam iam omnes discubuerant praeter ipsum Trimalchionem, cui locus novo more primus servabatur. 9. Ceterum in promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras; tegebant asellum duae lances, 10. in quarum marginibus nomen Trimalchionis inscriptum erat et argenti pondus. Ponticuli etiam feruminati sustinebant glires melle ac papavere sparsos. 11. Fuerunt et tomacula super craticulam argenteam ferventia posita, et infra craticulam Syriaca pruna cum granis Punici mali.

**XXXII.** 1. In his eramus lautitiis, cum ipse Trimalchio ad symphoniam allatus est positusque inter cervicalia munitissima expressit imprudentibus risum. 2. Pallio enim coccineo adrasum excluserat caput circaque oneratas veste cervices laticlavium immiserat mappam fimbriis hinc atque illinc pendentibus. 3. Habebat etiam in minimo digito sinistrae manus anulum grandem subauratum, extremo vero articulo digiti sequentis minorem, ut mihi videbatur, totum aureum, sed plane ferreis veluti stellis feruminatum. 4. Et ne has tantum ostenderet divitias, dextrum nudavit lacertum armilla aurea cultum et eboreo circulo lamina splendente conexo.

**XXXIII.** 1. Ut deinde pinna argentea dentes perfodit, „amici“ inquit „nondum mihi suave erat in triclinium venire, sed ne diutius absentivos morae vobis essem, omnem voluptatem mihi negavi. Permittetis tamen finire lusum“. 2. Sequebatur puer cum tabula terebinthina et crystallinis tesseris, notavique rem omnium delicatissimam. Pro calculis enim albis ac nigris aureos argenteosque habebat denarios. 3. Interim dum ille omnium textorum dicta inter lusum consumit, gustantibus adhuc nobis repositorium allatum est cum corbe, in quo gallina erat lignea patentibus in orbem alis, quales esse solent quae incubant ova. 4. Accessere continuo duo servi et symphonia strepente scrutari paleam coeperunt erutaque subinde pavonina ova divisere convivis. 5. Convertit ad hanc scaenam Trimalchio vultum et „amici“ ait „pavonis ova gallinae iussi supponi. Et mehercules timeo ne iam concepti



sint; temptemus tamen si adhuc sorbilia sunt“. 6. Accipimus nos coclearia non minus selibras pendentia ovaque ex farina pingui figurata pertundimus. 7. Ego quidem paene proieci partem meam, nam videbatur mihi iam in pullum coisse. 8. Deinde ut audivi veterem convivam: „hic nescio quid boni debet esse“, persecutus putamen manu pinguissimam ficedulam inveni piperato vitello circumdatam.

**XXXIV.** 1. Iam Trimalchio omnia lusu intermisso poposcerat feceratque potestatem clara voce, si quis nostrum iterum vellet mulsum sumere, cum subito signum symphonia datur et gustatoria pariter a choro cantante rapiuntur. 2. Ceterum inter tumultum cum forte paropsis excidisset et puer iacentem sustulisset, animavertit Trimalchio colaphisque obiurgari puerum ac proicere rursus paropsidem iussit. 3. Insecutus est lecticarius argentumque inter reliqua purgamenta scopis coepit everrere. 4. Subinde intraverunt duo Aethiopes capillati cum pusillis utribus, quales solent esse qui harenam in amphitheatro spargunt, vinumque dedere in manus; aquam enim nemo porrexit.

5. Laudatus propter elegantias dominus „aequum“ inquit „Mars amat. Itaque iussi suam cuique mensam assignari. Obiter et putidissimi servi minorem nobis aestum frequentia sua facient“.

6. Statim allatae sunt amphorae vitreae diligenter gypsatae, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: „Falernum Opimianum annorum centum.“ 7. Dum titulos perlegimus, complosit Trimalchio manus et „eheu“ inquit „ergo diutius vivit vinum quam homuncio. Quare tango-menas faciamus. Vita vinum est. Verum Opimianum praesto. Heri non tam bonum posui, et multo honestiores cenabant“. 8. Potantibus ergo nobis et accuratissime lautitias mirantibus larvam argenteam attulit servus sic aptatam, ut articuli eius vertebraeque luxatae in omnem partem flecterentur. 9. Hanc cum super mensam semel iterumque abiecisset, et catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalchio adiecit:

10. „Eheu nos miseros, quam totus homuncio nil est.  
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.  
Ergo vivamus, dum licet esse bene“.

**XXXV.** 1. Laudationem ferculum est insecutum plane non pro expectatione magnum; novitas tamen omnium convertit oculos. 2. Rotundum enim repositorium duodecim habebat signa in orbe disposita, super quae proprium convenientemque materiae structor imposuerat cibum: 3. super arietem cicer arietinum, super taurum bubulae frustum, super geminos renes, super cancrum coronam, super leonem ficum Africanam, super virginem steriliculam, super libram stateram. 4. in cuius altera parte scriblita erat, in altera placentia, super scorpionem pisciculum marinum, super sagittarium octopectam, super capricornum locustam marinam, super aquarium anserem, super pisces duos mullos. 5. In medio autem caespes cum herbis excisus favum sustinebat. 6. Circumferebat Aegyptius puer clibano argenteo panem. 7. Nos ut tristiores ad tam viles accessimus cibos, „suadeo“ inquit Trimalchio „cenemus; hoc est ius cenae“.



**XLII.** 1. Excepit Seleucus fabulae partem et „ego“ inquit „non cotidie labor; 2. baliscus enim fullo est, aqua dentes habet, et cor nostrum cotidie liquescit. Sed cum mulsi pultarium obduxi, frigori laecasin dico. Nec sane lavare potui; fui enim hodie in funus. Homo bellus, tam bonus Chrysanthus animam ebulliit. 3. Modo, modo me appellavit. Videor mihi cum illo loqui. 4. Heu, eheu, utres inflati ambulamus. Minoris quam muscae sumus, muscae tamen aliquam virtutem habent, nos non pluris sumus quam bullae. Et quid si non abstinax fuisset. 5. Quinque dies aquam in os suum non coniecit, non micam panis. Tamen abiit ad plures. Medici illum perdidit, immo magis malus fatus; medicus enim nihil aliud est quam animi consolatio. 6. Tamen bene elatus est, vitali lecto, stragulis bonis. Planctus est optime — manu misit aliquot — etiam si maligne illum ploravit uxor. 7. Quid si non illam optime accepisset? Sed mulier quae mulier milvinum genus. Neminem nihil boni facere oportet; aequae est enim ac si in puteum conicias. Sed antiquus amor cancer est.“

**XLIII.** 1. Molestus fuit, Philerosque proclamavit. Vivorum meminerimus. Ille habet, quod sibi debebatur: honeste vixit, honeste obiit. Quid habet quod queratur? ab asse crevit et paratus fuit quadrantem de stercore mordicus tollere. Itaque crevit, quicquid crevit, tanquam favus. 2. Puto mehercules illum reliquisse solida centum, et omnia in nummis habuit. 3. De re tamen ego verum dicam, qui linguam caninam comedi: durae buccae fuit, linguosus, discordia, non homo. 4. Frater eius fortis fuit, amicus amico, mani plena, uncta mensa. Et inter initia malam parram pilavit, sed recorrexit costas illius prima vindemia: vendidit enim vinum, quanti ipse voluit. Et quod illius mentum sustulit, hereditatem accepit, ex qua plus involavit, quam illi relictum est. 5. Et ille stips, dum fratri suo irascitur, nescio cui terrae filio patrimonium elegavit. Longe fugit, quisquis suos fugit. 6. Habuit autem oracularios servos, qui illum pessum dederunt. Nunquam autem recte faciet, qui cito credit, utique homo negotians, tamen verum quod frunitus est, quam diu vixit cui datum est, non cui destinatum. 7. Plane Fortunae filius, in manu illius plumbum aurum fiebat. Facile est autem, ubi omnia quadrata currunt. Et quot putas illum annos secum tulisse? septuaginta et supra. Sed corneolus fuit, aetatem bene ferebat, niger tanquam corvus. 8. Noveram hominem olim oliorum et adhuc salax erat. Non mehercules illum puto in domo canem reliquisse. Immo etiam pullarius erat, omnis minervae homo. Nec improbo, hoc solum enim secum tulit“.

**XLIV.** 1. Haec Phileros dixit, illa Ganymedes: „narratis quod nec ad caelum nec ad terram pertinet, cum interim nemo curat, quid annona mordet. 2. Non mehercules hodie buccam panis invenire potui. Et quomodo siccitas perseverat. Iam annum esuritio fuit. 3. Aediles male eveniat, qui cum pisto-ribus colludunt „serva me, servabo te“. Itaque populus minutus laborat; 4. nam isti maiores maxillae semper Saturnalia agunt. O si haberemus illos leones, quos ego hic inveni, cum primum ex Asia veni. 5. Illud erat vivere. Similia sicilia interiores et larvas sic istos percolopabant, ut illis Iupiter iratus esset. 6. (sed) memini Safinium: tunc habitabat ad arcum veterem, me puero, piper, non homo. 7. Is quacunq̄ ibat, terram adurebat. Sed rectus,

sed certus, amicus amico, cum quo audacter posses in tenebris micare. 8. In curia autem quomodo singulos (vel) pilabat (tractabat), nec schemas loquebatur sed directum. 9. Cum ageret porro in foro sic illius vox crescebat tanquam tuba. Nec sudavit unquam nec expuit, puto cum nescio quid Asiadis habuisse. 10. Et quam benignus resalutare, nomina omnium reddere, tanquam unus de nobis. Itaque illo tempore annona pro luto erat. 11. Asse panem quem emissus, non potuisses cum altero devorare. 12. Nunc oculum bubulum vidi maiorem. Heu heu, quotidie peius. Haec colonia retroversus crescit tanquam coda vituli. 13. Sed quare nos habemus aedilem trium cauniarum, qui sibi mavult assem quam vitam nostram? itaque domi gaudet, plus in die nummorum accipit, quam alter patrimonium habet. Iam scio, unde acceperit denarios mille aureos. 14. Sed si nos coleos haberemus, non tantum sibi placeret. Nunc populus est domi leones, foras vulpes. 15. Quod ad me attinet, iam pannos meos comedi, et si perseverat haec annona, casulas meas vendam. 16. Quid enim futurum est, si nec dii nec homines huius coloniae miserentur? ita meos fruniscar, ut ego puto omnia illa a diibus fieri. 17. Nemo enim caelum caelum putat, nemo ieiunium servat, nemo Iovem pili facit, sed omnes operis oculis bona sua computant. 18. Antea stolatae ibant nudis pedibus in clivum, passis capillis, mentibus puris, et Iovem aquam exorabant. Itaque statim urceatim plovebat: aut tunc aut nunquam: et omnes redibant udi tanquam mures, itaque dii pedes lanatos habent, quia nos religiosi non sumus. Agri iacent.

### Teoria lui Eumolpus asupra poemului epic

CXVIII. 1. „multos (inquit Eumolpus), o iuvenes carmen decepit. Nam ut quisque versum pedibus instruxit sensumque teneriorem verborum ambitu intexuit, putavit se continuo in Heliconem venisse. 2. Sic forensibus ministeris exercitati frequenter ad carminis tranquillitatem tanquam ad portum feliciorem refugerunt, credentes facilius poema extrui posse, quam controversiam sententiolis vibrantibus pictam. 3. Ceterum neque generosior spiritus vanitatem amat, neque concipere aut edere partum mens potest nisi ingenti flumine litterarum inundata. 4. Refugiendum est ab omni verborum ut ita dicam, vilitate et summendae voces a plebe summotae, ut fiat „odi profanum vulgus et arceo“. 5. Praeterea curandum est, ne sententiae emineant extra corpus orationis expressae, sed intexto vestibus colore niteant. Homerus testis et lyrici Romanusque Vergilius et Horatii curiosa felicitas. Ceteri enim aut non viderunt viam, qua iretur ad carmen, aut visam timuerunt calcare. 6. Ecce belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus litteris, sub onere labetur. Non enim res gestae versibus comprehendendae sunt, quod longe melius historici faciunt, sed per ambages deorumque ministeria et fabulosum sententiarum tormentum praecipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat quam religiosae orationis sub testibus fides.“



# *C. Plinius Secundus*

(23 — 79 e.n.)

## NATURALIS HISTORIA

### LIBER SEPTIMUS

#### **Originea alfabetului**

LVI. (192) Litteras semper arbitror Assyriis fuisse, sed alii apud Aegyptios a Mercurio, ut Gellius, alii apud Syros repertas volunt. Utique in Graeciam attulisse e Phoenice Cadmum sedecim numero, quibus Troiano bello Palameden adiecisse quattuor hac figura Z Ψ X, totidem post eum Simonidem melicum, YΞΩΘ, quarum omnium vis in nostris recognoscitur. Aristoteles decem et octo priscas fuisse et duas ab Epicharmo additas Ψ Z quam a Palamede mavolt 193. Anticlides in Aegypto invenisse quondam nomine Manon tradit, XV annorum ante Phoronea antiquissimum Graeciae regem, idque monumentis adprobare conantur. E diverso Epigenes apud



Babylonios DCCXX annorum observationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet, gravis auctor in primis, qui minimum, Berosus et Critodemus, CCCCXC ex quo apparet aeternus litterarum usus. In Latium eas attulerunt Pelasgi.

## LIBER TRICESIMUS QUINTUS

### **Pictorul Apelles**

XXXVI. 184. Apelli fuit alioqui perpetua consuetudo numquam tam occupatum diem agendi ut non lineam ducendo exercebat artem, quod ab eo in proverbium venit. Idem perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus, atque ipse post tabulam latens vitia quae notarentur auscultabat vulgum diligentiorum iudicem quam se praeferens, 85. feruntque reprehensum a sutore, quod in crepidis una pauciores intus fecisset ansas, eodem postero die superbo emendatione pristinae admonitionis cavillante circa crus, indignatum prospexisse denuntiantem ne supra crepidam sutor iudicaret, quod et ipsum in proverbium abiit.

## LIBER TRICESIMUS SEXTUS

### **Sulptorul Praxiteles**

V. 21. Praxitelis aetatem inter statuarios diximus, qui marmoris gloria superavit etiam semet. Opera eius sunt Athenis in Ceramico, sed ante omnia est non solum Praxitelis verum in tot orbe terrarum Venus quam ut viderent multi navigaverunt Cnidum. Duas fecerat simulque vendebat, alteram velata specie, quam ob id praetulerunt quorum condicio erat Coi, cum eodem pretio detulisset, severum id ac pudicum arbitantes. Reiectam Cnidi emerunt inmensa differentia famae. 21. Voluit eam a Cnidiis postea mercari rex Nicomedes, totum aes alienum quod erat ingens civitatis dissoluturum se promittens. Omnia perpeti maluere, nec inmerito, illo enim signo Praxiteles nobilitavit Cnidum. Aedicula eius tota aperitur ut conspici possit undique effigies dea favente ipsa, ut creditur, facta. Nec minor ex quacumque parte admiratio est.

# M. Fabius Quintilianus

(cca. 35 — cca. 95 e.n.)

## DE INSTITUTIONE ORATORIA

### LIBER DECIMUS

#### De copia verborum

46. Igitur, ut Aratus *ab Iove incipiendum* putat, ita nos rite coepturi ab Homero videmur. Hic enim, quemadmodum *ex Occano* dicit ipse *amniuum fontiumque cursus initium capere* omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit. Nunc nemo in magnis rebus sublimitate, in parvis proprietate superaverit. Idem laetus ac pressus, iucundus et gravis, tum copia tum brevitate mirabilis, nec poetica modo sed oratoria virtute eminentissimus.

47. Nam ut de laudibus, exhortationibus, consolationibus taceam: none vel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio vel dictae in secundo sententiae omnes litium ac consi-



liorum explicant artes? 48. Affectos quidem vel illos mites vel hos concitados, nemo erit tam indoctus, qui non in sua potestate hunc auctorem habuisse fateatur. Age vero, non utriusque operis ingressus in paucissimis versibus legem prooemiorum non dico servavit sed constituit? Nam benevolum auditorem invocatione dearum, quas praesidere vatibus creditum est, et intentum proposita rerum magnitudine et docilem summa celeriter comprehensa facit. 49. Narrare vero quis brevius quam qui mortem nuntiat Patrocli, quis significantius potest quam qui Curetum Aetolorumque proelium exponit? Iam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum et argumenta ceteraque probandi seu refutandi sunt ita multa, ut etiam qui de artibus scripserunt plurimi harum rerum testimonium ab hoc poeta petant. 50. Nam epilogus quidem quis umquam poterit illis Priami rogantis Achillem precibus aequari? Quid? in verbis, sententiis, figuris, dispositione totius operis nonne humani ingenii modum excedit? ut magni sit virtutes eius non aemulatione, quod fieri non potest, sed intellectu sequi. 51. Verum hic omnes sine dubio et in omni genere eloquentiae procul a se reliquit, epicos tamen praecipue, videlicet quia clarissima in materia simili comparatio est. 65. Antiqua comedia cum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimae libertatis, etsi est insectandis vitiis praecipua, plurimum tamen virium etiam in ceteris partibus habet. Nam et grandis et elegans et venusta, et nescio an ulla, post Homerum tamen, quem ut Achillem semper excipi par est, aut similior sit oratoribus aut ad oratores faciendos aptior. 66. Plures eius auctores; Aristophanes tamen et Eupolis Cratinusque praecipui. Tragoedias primus in lucem Aeschylus protulit, sublimis et gravis et grandiloquus saepe usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus; propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre posteribus poetis Athenienses permiserunt, suntque eo modo multi coronati. Sed longe clarius illustraverunt hoc opus Sophocles atque Euripides, quorum in dispari dicendi via uter sit poeta melior, inter plurimos quaeritur. Idque ego sane, quoniam ad praesentem materiam nihil pertinet, iniudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis, qui se ad agendum comparant, utiliorem fore Euripiden. 68. Namque is et sermone (quod ipsum reprehendunt, quibus gravitas et cothurnus et sanus Sophoclis videtur esse sublimior) magis accedit oratorio generi et sententiis densus et in iis, quae a sapientibus tradita sunt, paene ipsis par, et dicendo ac respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro disertis, comparandus; in affectibus vero cum omnibus mirus tum in iis, qui miseratione constant, facile praecipuus. 69. Et admiratus maxime est, ut saepe testatur, et cum secutus, quanquam in opere diverso, Menander, qui vel unus, nec quidem iudicio, diligenter lectus ad cuncta, quae praecipimus, efficienda sufficiat ita omnem vitae imaginem expressit, tanta in eo inveniendi copia et eloquendi facultas, ita est omnibus rebus, personis, affectibus accomodatus.

85. Itaque ut apud illos Homerus sic apud nos Vergilius auspiciatissimum dederit exordium, omnium eius generis poetarum Graecorum nostrorumque haud dubie proximus. 86. Utor enim verbis iisdem, quae ex Afro Domitio iuvenis excepti; qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere, Secundus inquit *est Vergilius, propior tamen primo quam tertio*. 93. Elegia quoque Graecos provocamus, cuius mihi tersus atque elegans maxime videtur



auctor Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ovidius utroque lascivior, sicut durior Gallus. Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores ut cum non eiusdem modo operis auctoribus sed omnibus poetis praefere non dubitent. 94. Ego quantum ab illis tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium *fluere lutulentum* et *esse aliquid, quod tollere possis*, putat. Nam eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abundantia salis. Multum est tersior ac purus magis Horatius et, non labor eius amore, praecipuus. Multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit.

96. At lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando et plenus est iucunditatis et gratiae et variis figuris et verbis felicissime audax.

97. Tragoediae scriptores veterum Attius atque Pacuvius clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse. Virium tamen Attium plus tribuitur; Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt. 98. Iam Varii Thyestes cuilibet Graecarum comparari potest. Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo imperare quam indulgere maluisset.

99. In comoedia maxime claudicamus, licet Varro *Musas*, Aelii Stilonis sententia, *Plautino dicat sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent*, licet Caecilium veteres laudibus ferant, licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur: quae tamen sunt in hoc genere elegantissima et plus adhuc habitura gratiae, si intra versus trimetros stetissent.

*M. Valerius Martialis*

(cca. 40 — cca. 104 e.n.)

**EPIGRAMMATA**

**LIBER PRIMUS**

**X**

Petit Gemellus nuptias Maronillae  
Et cupit et instat et precatur et donat.  
Adeone pulchra est? immo foedius nil est.  
Quid ergo in illa petitur et placet? Tussit.

**XLVII**

Nuper erat medicus, nunc est vispillo Diaulus :  
Quod vispillo facit, fecerat et medicus.

## LV

Vota tui breviter si vis cognoscere Marci,  
 Clarum militiae, Fronto, togaeque decus,  
 Hoc petit, esse sui nec magni ruris arator,  
 Sordidaque in parvis otia rebus amat. 5  
 Quisquam picta colit Spartani frigora saxi  
 Et matutinum portat ineptus Ave,  
 Cui licet exuviis memoris rurisque beato  
 Ante focum plenas explicuisse plagas  
 Et piscem tremula salientem ducere seta 10  
 Flavaque de rubro promere mella cado?  
 Pinguis inaequales onerant cui vilica mensas  
 Et sua non emptus praeparat ova cinis?  
 Non amet hanc vitam quisquis me non amat, opto,  
 Vivat et urbanis albus in officiis.

## LXXXIX

Garris in aurem semper omnibus, Cinna,  
 Garris et illud teste quod licet turba.  
 Rides in aurem, quereris, arguis, ploras,  
 Cantas in aurem, iudicas, taces, clamas, 5  
 Adeoque penitus sedit hic tibi morbus,  
 Ut saepe in aurem, Cinna, Caesarem laudes.

## LIBER SECUNDUS

## XXXVIII

Quid mihi reddat ager quaeris, Line, Nomentanus?  
 Hoc mihi reddit ager: te, Line, non video.

## LIBER TERTIUS

## XXXVIII

Quae te causa trahit vel quae fiducia Romam,  
 Sexte? quid aut speras aut petis inde? refer.  
 „Causas“ inquis „agam Cicerone disertior ipso  
 Atque erit in triplici par mihi nemo foro“.



- Egit Atestimus causas et Civis; (utrumque  
 Noras;) sed neutri pensio tota fuit. 5  
 „Si nihil hinc veniet, pangentur carmina nobis :  
 Audieris, dices esse Maronis opus.“  
 Insanis : omnes gelidis quicunque lacernis  
 Sunt ibi, Nasones Vergiliosque vides. 10  
 „Atria magna colam“. Vix tres aut quattuor ista  
 Res aluit, pallet cetera turba fame,  
 „Quid faciam? suade : nam certum est vivere Romae.“  
 Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.

## LIBER QUARTUS

## XLII

- Nescit, crede mihi, quid sint epigrammata, Flacce,  
 Qui tantum lusus ista iocosque vocat.  
 Ille magis ludit, qui scribit prandia saevi  
 Tereos, aut cenam, crude Thyesta, tuam,  
 Aut puero liquidas aptantem Daedalon alas, 5  
 Pascentem Siculas aut Polyphemon oves.  
 A nostris procul est omnis vesica libellis,  
 Musa nec insano syrmate nostra tumet.  
 „Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant“.  
 Confiteor : laudant illa, sed ista legunt. 10

## LIBER QUINTUS

## XLII

- Thais habet nigros, niveos Laecania dentes.  
 Quae ratio est? Emptos haec habet, illa suos.

## LIBER SEXTUS

## XIX

- Non de vi neque caede, nec veneno,  
 Sed lis est mihi de tribus capellis.  
 Vicini queror has abesse furto.  
 Hoc iudex sibi postulat probari :

Tu Cannas Mithridaticumque bellum  
 Et periuria Punici furoris  
 Et Sullas Mariosque Muciosque  
 Magna voce sonas manuque tota.  
 Iam dic, Postume, de tribus capellis.

5

## LIII

Lotus nobiscum est, hilaris cenavit, et idem  
 Inventus mane est mortuus Andragoras.  
 Tam subitae mortis causam, Faustine, requiris?  
 In somnis medicum viderat Hermocraten.

## LIBER SEPTIMUS

## LCCCIII

Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci  
 Expingitque genas, altera barba subit.

## LIBER DECIMUS

## XCVI

Saepe loquar nimium gentes quod, Avite, remotas,  
 Miraris, Latia factus in urbe senex,  
 Auriferumque Tagum sitiam patriumque Salonem  
 Et repetam saturae sordida rura casae.  
 Illa placet tellus, in qua res parva beatum  
 Me facit et tenues luxuriantur opes.  
 Pascitur hic, ibi pascit ager; tepet igne maligno  
 Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.  
 Hic pretiosa fames conturbatorque macellus;  
 Mensa ibi divitiis ruris operta sui.  
 Quattuor hic aestate togae pluresve teruntur;  
 Auctumnis ibi ne quattuor una tegit.  
 I, cole nunc reges, quidquid non praestat amicus  
 Cum praestare tibi possit, Avite, locus.

5

10

## CIII

Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis acri  
Monte creat, rapidis quem Salo cingit aquis,  
Ecquid laeta iuvat vestri vos gloria vatis?  
Nam decus et nomen famaue vestra sumus, 5  
Nec sua plus debet tenui Verona Catullo  
Meque velit dici non minus illa suum.  
Quattuor accessit tricesima messibus aestas,  
Ut sine me Cereri rustica liba datis.  
Moenia dum colimus dominae pulcherrima Romae, 10  
Mutavere meas Itala regna comas.  
Excipitis placida reducem si mente, venimus;  
Aspera si geritis corda, redire licet.



# *C. Plinius Caecilius Secundus*

(61 — cca 115)

## **EPISTULAE**

### **LIBER SECUNDUS**

#### **VI**

#### **C. PLINIUS AVITO SUO SALUTEM**

1. Longum est altius repetere, nec refert quemadmodum acciderit ut homo minime familiaris cenarem apud quendam, ut sibi videbatur, lautum et diligentem, ut mihi, sordidum simul et sumptuosum. 2. Nam sibi et paucis opima quaedam, ceteris vilia et minuta ponebat. Vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera descripserat, non ut potestas eligendi, sed ne ius esset recusandi, aliud sibi et nobis, aliud minoribus amicis (nam gradatim amicos habet), aliud suis nostrisque libertis. 3. Animadvertit qui mihi proximus

recumbebat et an probarem interrogavit. „Tu ergo“, inquit, „quam consuetudinem sequeris?“ „Eadem omnibus pono : ad cenam enim, non ad notam invito cunctisque rebus exaequo quos mensa et toro aequavi“.

„Etiamne libertos?“ „Etiam : 4. convictores enim tunc, non libertos puto. „Et ille : „Magna tibi constat?“ „Minime“.

„Qui fieri potest?“ „Quia scilicet liberti mei non idem quod ego bibunt, sed idem ego quod liberti“.

5. Et Hercule si gulae temperes, non est onerosum, quo utaris ipse, communicare cum pluribus. Illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda est, si sumptibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia quam aliena contumelia consulas. 6. Quorsus haec? Ne tibi, optimae indolis iuveni, quorumdam in mensa luxuria specie frugalitatis imponat. Convenit autem amori in te meo, quoties tale aliquid inciderit, sub exemplo praemonere quid debeas fugere. 7. Igitur momento nihil magis esse vitandum quam istam luxuriae et sordium novam societatem ; quae cum sint turpissima discreta ac separata, turpius iunguntur. Vale.

## XIV

### C. PLINIUS MĂXIMO SUO SALUTEM

1. Verum opinaris : dstringor centumviralibus causis quae me exercent magis quam delectant. Sunt enim pleraeque parvae et exiles : raro incidit vel personarum claritate vel negotii magnitudine insignis. 2. Ad hoc pauci cum quibus iuvet dicere : ceteri audaces atque etiam magna ex parte adulescentuli obscuro ad declamandum huc transierunt, tam irreverenter et temere, ut mihi Atilius noster expresse dixisse videatur, sic in foro pueris a centumviralibus causis auspicari, ut ab Homero in scholis. Nam hic quoque ut illic primum coepit esse quod maximum est.

3. At Hercule ante memoriam meam (ita maiores natu solent dicere) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente : tanta veneratione pulcherrimum opus colebatur. 4. Nunc refractis pudoris et reverentiae claustris omnia patent omnibus, nec inducuntur sed irrumpunt. Sequuntur auditores actoribus similes, conducti et redempti : manceps convenitur : in media basilica tam palam sportulae quam in triclinio dantur : ex iudicio in iudicium pari mercede transitur.

6. Et tamen crescit in dies foeditas utraque lingua notata. Heri duo nomenclatores mei (habent sane aetatem eorum qui nuper togas sumpserint) ternis denariis ad laudandum trahebantur. Tanti constat ut sis disertissimus. Hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur, hoc ingens corona colligitur, hoc infiniti clamores commoventur, cum mesochorus dedit signum : 7. opus est enim signo apud non intellegentes, ne audientes quidem ; nam

plerique non audiunt nec ulli magis laudant. 8. Si quando transibis per basilicam et voles scire quo modo quisque dicat, nihil est quod tribunal ascendas, nihil quod praebeas aurem; facilis divinatio: scito eum pessime dicere, qui laudabitur maxime.

9. Primus hunc audiendi morem induxit Largius Licinus, hactenus tamen ut auditores corrogaret: ita certe ex Quintiliano, praeceptore meo, audisse memini. Narrabat ille: „Assectabar Domitium Afrum: 10. cum apud centumviros diceret graviter et lente (hoc enim illi actionis genus erat), audit ex proximo immodicum insolitumque clamorem. Admiratus reticuit. Ubi silentium factum est, repetiit quod abruperat. 11. Iterum clamor, iterum reticuit, et post silentium coepit idem tertio. Novissime, quis diceret quae-sivit; responsum est: „Licinus“. Tum intermissa causa: „Centumviri“, inquit, „hoc artificium periit“.

12. Quod alioqui perire incipiebat, cum perisse Afro videretur, nunc vero prope funditus extinctum et eversum est. Pudet referre, quae, quam fracta pronuntiatione dicantur; quibus, quam teneris clamoribus excipiantur. 13. Plausus tantum ac potius sola cymbala et tympana illis canticis desunt: ululatus quidem (neque enim alio vocabulo potest exprimi theatri quoque indecora laudatio) large supersunt. 14. Nos tamen adhuc et utilitas amicorum et ratio aetatis moratur ac retinet: veremur enim ne forte non has indignitates reliquisse, sed laborem fugisse videamur. Sumus tamen solito rariores, quod, initium est gradatim desinendi. Vale.

## LIBER TERTIUS

### VII

#### C. PLINIUS CANINIO SUO SALUTEM

1. Modo nuntiatus est Silius Italicus in Neapolitano suo inedia finisse vitam. 2. Causa mortis valetudo. Erat illi natus insanabilis clavus, cuius taedio ad mortem irrevocabili constantia decurrit, usque ad supremum diem beatus et felix, nisi quod minorem ex liberis duobus amisit; sed maiorem melioremque florentem atque etiam consularem reliquit. 3. Laeserat famam suam sub Nerone, credebatur sponte accusasse; sed in Vitelli amicitia sapienter se et comiter gesserat, ex proconsulatu Asiae gloriam reportaverat maculam veteris industriae laudabili otio abluerat. 4. Fuit inter principes civitatis sine potentia, sine invidia: salutabatur, colebatur, multumque in lectulo iacens cubiculo semper non ex fortuna frequenti doctissimis sermonibus dies transigebat, cum a scribendo vacaret. 5. Scribebat carmina



maiore cura quam ingenio, non numquam iudicia hominum recitationibus experiebatur.

6. Novissime ita suadentibus annis ab urbe secessit, seque in Campania tenuit, ac ne adventu quidem novi principis inde commotus est. 7. Magna Caesaris laus, sub quo hoc liberum fuit, magna illius, qui hac libertate ausus est uti.

8. Plures isdem in locis villas possidebat adamatisque novis priores neglegebat. Multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur, Vergilii ante omnes, cuius natalem religiosius quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monumentum eius adire ut templum solebat. 9. In hac tranquillitate annum quintum et septuagesimum excessit, delicato magis corpore quam infirmo: utque novissimus a Nerone factus est consul, ita postremus ex omnibus, quos Nero consules fecerat, decessit. 10. Illud etiam notabile, ultimus ex Neronianis consularibus obiit quo consule Nero periit.

Quod me recordantem fragilitatis humanae miseratio subit. 11. Quid enim tam circumcisum, tam breve quam hominis vita longissime? An non videtur tibi Nero modo fuisse? Cum interim ex iis, qui sub illo gesserant consulatum, nemo iam superest. Quamquam quid hoc miror? 12. Nuper L. Piso, pater Pisonis illius qui a Valerio Festo per summum facinus in Africa occisus est, dicere solebat neminem se videre in senatu, quem consul ipse sententiam rogavisset. 13. Tam angustis terminis tantae multitudinis vivacitas ipsa concluditur, ut mihi non venia solum dignae, verum etiam laude videantur illae regiae lacrimae. Nam ferunt Xerxen, cum immensum exercitum oculis obisset, illacrimasse, quod tot milibus tam brevis immineret occasus. 14. Sed tanto magis hoc, quidquid est, temporis futile et caduci, si non datur factis (nam horum materia in aliena manu), certe studiis proferamus, et quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur. 15. Scio te stimulis non egere; me tamen tui caritas evocat ut currentem quoque instigem, sicut tu soles me. Vale.

## XXI

### C. PLINIUS CORNELIO PRISCO SUO SALUTEM

1. Audio Valerium Martialem decessisse, et moleste fero. Erat homo ingeniosus, acutus, acer, et qui plurimum in scribendo et salis haberet et fellis, nec candoris minus. 2. Prosecutus eram viatico secedentem: dederam hoc amicitiae, dederam etiam versiculis quod de me composuit. 3. Fuit moris antiqui eos, qui vel singulorum laudes vel urbium scripserant, aut honoribus aut pecunia ornare, nostris vero temporibus, ut alia speciosa et egregia, ita hoc in primis exolevit. Nam postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. 4. Quaeris qui sint versiculi quibus gratiam rettuli? Remitterem te ad ipsum volumen, nisi quosdam tenerem:

tu, si placuerint hi, ceteros in libro requires. 5. Alloquitur Musam, mandat ut domum meam Esquiliis quaerat, adeat reverenter.

Sed ne tempore non tuo disertam  
 Pulses ebria ianuam videto.  
 Totos dat tetricae dies Minervae,  
 Dum centum studet auribus virorum,  
 Hoc, quod saecula posterique possint  
 Arpinis quoque comparare chartis,  
 Seras tutior ibis ad lucernas :  
 Haec hora est tua, cum furit Lyaeus.  
 Cum regnat rosa, cum madent capilli :  
 Tunc me vel rigidi legant Catones.

6. Meritone eum qui haec de me scripsit et tunc dimisi amicissime et nunc ut amicissimum defunctum esse doleo? Dedit enim mihi quantum maximum potuit, daturus amplius, si potuisset. Tametsi quid homini potest dari maius quam gloria et laus et aeternitas? At non erunt aeterna quae scripsit : non erunt fortasse, ille tamen scripsit tamquam essent futura. Vale.

## LIBER SEXTUS

### XVI

#### C. PLINIUS TACITO SUO SALUTEM

1. Petis ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago : nam video morti eius, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam. 2. Quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes, memorabili casu quasi semper victurus occiderit, quamvis ipse plurima opera et mansura condiderit ; multum tamen perpetuitati eius scriptorum tuorum aeternitas addet. 3. Equidem beatos puto quibus deorum munere datum est aut facere scribenda aut scribere legenda, beatissimos vero quibus utrumque. Horum in numero avunculus meus et suis libris et tuis erit. Quo libentius suscipio, depono etiam quod iniungis.

4. Erat Miseni classemque imperio praesens regebat. Nonum Kal. Septembres, hora fere septima, mater mea indicat ei apparere nubem inusitata et magnitudine et specie. 5. Usus ille sole, mox frigida, gustaverat iacens studebatque : poscit soleas, ascendit locum ex quo maxime miraculum illud conspici poterat. Nubes, incertum procul intuentibus ex quo monte (Vesuvium fuisse postea cognitum est), oriebatur, cuius similitudinem et formam non alia magis arbor quam pinus expresserit. 6. Nam longissimo velut trunco



elata in altum quibusdam ramis diffundebatur, credo, quia recenti spiritu evecta, dein senescente eo destituta aut etiam pondere suo victa in latitudinem vanescebat : candida interdum, interdum sordida et maculosa, prout terram cineremve sustulerat.

7. Magnum propriusque noscendum, ut eruditissimo viro, visum. Iubet Liburnicam aptari : mihi, si venire una vellem, facit copiam : respondi studere me malle, et forte ipse quod scriberem dederat. 8. Egrediebatur domo : accipit codicillos Rectinae Tasci imminente periculo exterritae (nam villa eius subiacebat, nec ulla nisi navibus fuga) : ut se tanto discrimini ariperet orabat. 9. Vertit ille consilium et, quod studioso animo inchoaverat, obit maximo. Deducit quadriremes, ascendit ipse, non Rectinae modo, sed multis (erat enim frequens amoenitas orae) laturus auxilium. 10. Properat illuc unde alii fugiunt, rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet, adeo solutus metu et omnes illius mali motus, omnes figuras, ut deprenderat oculis, dictaret enotaretque.

11. Iam navibus cinis incidebat quo propius accederent calidior et densior, iam pumices etiam nigrique et ambusti et fracti igne lapides, iam vadum subitum, ruinaque montis litora obstantia. Cunctatus paulum an retro flecteret, mox gubernatori ut ita faceret monenti : „Fortes ;“ inquit, „fortuna iuvat : Pomponianum pete“. 12. Stabiis erat, diremptus sinu medio ; nam sensim circumactis curvatisque litoribus mare infunditur. Ibi, quamquam nondum periculo appropinquante conspicuo tamen et, cum cresceret, proximo, sarcinas contulerat in naves, certus fugae, si contrarius ventus resedisset ; quo tunc avunculus meus secundissimo inventus complectitur trepidantem, consolatur, hortatur, utque timorem, eius sua securitate leniret, deferri in balineum iubet : lotus accubat, cenat aut hilaris aut, quod est aequae magnum, similis hilari.

13. Interim e Vesuvio monte pluribus in locis latissimae flammae altaque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas tenebris noctis excitabatur. Ille agrestium trepidatione ignes relictos desertasque villas per solitudinem ardere in remedium formidinis dictitabat. Tum se quieti dedit, et quievit verissimo quidem somno. Nam meatus animae, qui illi propter amplitudinem corporis gravior et sonantior erat, ab iis qui limini obversabantur, audiebatur. 14. Sed area, ex qua diaeta adibatur, ita iam cinere mixtisque pumicibus oppleta surrexerat ut, si longior in cubiculo mora, exitus negaretur. Excitatus procedit, seque Pomponiano ceterisque, qui pervigilaverant, reddit. 15. In commune consultant, intra tecta subsistant, an vagentur. Nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant et, quasi emota sedibus suis, nunc huc nunc illuc abire aut referri videbantur. 16. Sub die rursus quamquam levium exesorumque pumicum casus metuebatur ; quod tamen periculorum collatio elegit. Et apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit. Cervicalia capitibus imposita linteis constringunt : id munimentum adversus incidentia fuit.

17. Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque ; quam tamen faces multae variaque lumina solabantur. Placuit egredi in litus et ex proximo aspicere ecquid iam mare admitteret ; quod adhuc vastum et adversum permanebat. 18. Ibi super abiectum linteum recubans, semel atque iterum frigidam poposcit hausitque. Deinde flammae flammarumque



praenuntius odor sulfuris alios in fugam vertunt, excitant illum. 19. Innitens servulis duobus assurrexit, et statim concidit, ut ego colligo, crassiore caligine spiritu obstructo clausoque stomacho, qui illi natura invalidus et angustus et frequenter aestuans erat. 20. Ubi dies redditus (is ab eo quem novissime viderat tertius), corpus inventum integrum, illaesum, opertumque ut fuerat indutus: habitus corporis quiescenti quam defuncto similior.

21. Interim Miseni ego et mater. Sed nihil ad historiam, nec tu aliud quam de exitu eius scire voluisti. Finem ergo faciam. 22. Unum adiciam: omnia me quibus interfueram quaeque statim, cum maxime vera memorantur, audieram, persecutum. Tu potissima excerptes. Aliud est enim epistulam aliud historiam, aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

## LIBER SEPTIMUS

### XX

#### C. PLINIUS TACITO SUO SALUTEM

1. Librum tuum legi et, quam diligentissime potui, adnotavi quae commutanda, quae eximenda arbitrarer. Nam et ego verum dicere assuevi, et tu libenter audire. Neque enim ulli patientius reprehenduntur, quam qua maxime laudari merentur. 2. Nunc a te librum meum cum adnotationibus tuis exspecto. O iucundas, o pulchras vices! Quam me delectat quod, si qua posteris cura nostri, usquequaque narrabitur, qua concordia, simplicitate, fide vixerimus. 3. Erit rarum et insigne duos homines aetate, dignitate propemodum aequales, non nullius in litteris nomine (cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me simul dico), alterum alterius studia fovisse. 4. Equidem adulescentulus, cum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo sed proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia; sed tu mihi (ita similitudo naturae ferebat) maxime imitabilis maxime imitandus videbaris. 5. Quo magis gaudeo quod, si quis de studiis sermo, una nominamur, quod de te loquentibus statim occurro. Nec desunt qui utrique nostrum praeferantur. 6. Sed nos, nihil interest mea quo loco, iungimur: nam mihi primus, qui a te proximus. Quin etiam in testamentis debes adnotasse: nisi quis forte alterutri nostrum amicissimus, eadem legata et quidem pariter accipimus. 7. Quae omnia huc spectant ut invicem ardentius diligemus, cum tot vinculis nos studia, mores, fama, suprema denique nominum iudicia constringant. Vale.

# *P. Cornelius Tacitus*

(cca. 55 — cca. 120 e.n.)

## **DIALOGUS DE ORATORIBUS**

### **Elogiul poeziei**

XII. 1. Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem, quod non in strepitu nec sedente ante ostium litigatore nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia fruiturque sedibus sacris. 2. Haec eloquentiae primordia, haec penetralia; hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit: sic oracula loquebantur. Nam lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens et malis moribus natus, atque ut tu dicebas, Aper, in locum teli repertus. 3. Ceterum felix

illud et, ut more nostro loquar, aureum saeculum, et oratorum et criminum inops poctis et vatibus abundabat, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. 4. Nec ullis aut gloria maior aut augustior honor, primum apud deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur, deinde apud illos diis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicorum, sed Orphea et Linum ac, si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus. 5. Vel si haec fabulosa nimis et composita videntur, illud certe mihi concedes, Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros, nec augustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis quam Lysiae aut Hyperidis includi. 6. Plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam quam qui Vergilii detrectent: nec ullus Asinii aut Messallae liber tam illustris est quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes.

**XIII.** 1. Ac ne fortunam quidem vatum et illud felix contubernium comparare timuerim cum inquieta et anxia oratorum vita. Licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint, malo securum et quietum Vergilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. 2. Testes Augusti epistulae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Vergilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque veneratus est sic quasi Augustum. 3. Ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitae vel perpetuitate famae cesserit. 4. Nam Crispus iste et Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? quod timent, an quod timentur? quod, cum cotidie aliquid rogentur, vel ii quibus praestant indignantur? quod alligati omni adulatione nec imperantibus unquam satis servi videntur nec nobis satis liberi? Quae haec summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. 5. Me vero dulces, ut Vergilius ait, Musae, remotum a sollicitudinibus et curis et necessitate cotidie aliquid contra animum faciendi, in illa sacra illosque fontes ferant; nec insanum ultra et lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar. 6. Non me fremitus salutantium nec anhelans libertus excitet, nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam, nec plus habeam quam quod possim cui velim relinquere (quandoque enim fatalis et meus dies veniet), statuarque tumulto non maestus et atrox, sed hilaris et coronatus, et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget."

### [Cauzele politice ale decăderii oratoriei]

**XXXVI.** 1. ... Magna eloquentia, sicut flamma, materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit. Eadem ratio in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. 2. Nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt, quae composita et quieta et beata re publica tribui fas erat, tamen illa perturbatione ac licentia plura sibi assequi videbantur cum mixtis omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuadere poterat. 3. Hinc leges assiduae et populare nomen, hinc contiones magistratum paene pernoctantium in



rostris, hinc accusationes potentium reorum et assignatae etiam domibus inimicitiae, hinc procerum factiones et assidua senatus adversus plebem certamina. 4. Quae singula etsi distrahebant rem publicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam et magnis stimulare praemiis videbantur, quia quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores assequeretur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat, tanto plus apud principes gratiae, plus auctoritatis apud patres, plus notitiae ac nominis apud plebem parabat. 5. Hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant hos, ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant, hos et praeturae et consulatus vocare ultro videbantur, hi ne privati quidem sine potestate erant, cum et populum et senatum consilio et auctoritate regerent. 6. Quin immo sibi ipsi persuaserant neminem sine eloquentia aut assequi posse in civitate aut tueri conspicuum et eminentem locum. 7. Nec mirum, cum etiam inviti ad populum producerentur, cum parum esset in senatu breviter censere, nisi quis ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur, cum in aliquam invidiam aut crimen vocati sua voce respondendum haberent, cum testimonia quoque in iudiciis non absentes nec per tabellam dare, sed coram et praesentes dicere cogerentur. 8. Ita ad summa eloquentiae praemia magna etiam necessitas accedebat, et quo modo disertum haberi pulchrum et gloriosum, sic contra mutum et elinguem videri deforme habebatur.

**XXXVII.** 1. Ergo non minus rubore quam praemiis stimulabantur, ne clientulorum loco potius quam patronorum numerarentur, ne traditae a maioribus necessitudines ad alios transirent, ne tanquam inertes et non suffecturi honoribus aut non impetrarent aut impetratos male tuerentur. 2. Nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor. Actorum libris et tribus Epistularum composita et edita sunt. 3. Ex his intellegi potest Cn. Pompeium et M. Crassum non viribus modo et armis, sed ingenio quoque et oratione valuisse; Lentulos et Metellos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum. 4. His accedebat splendor reorum et magnitudo causarum, quae et ipsa plurimum eloquentiae praestant. Nam multum interest, utrumne de furto aut formula et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitorum, expilatis sociis et civibus trucidatis. 5. Quae mala sicut non accidere melius est isque optimus civitatis status habendus est, in quo nihil tale patimur, ita, cum acciderent, ingentem eloquentiae materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram et illustrem orationem efficere potest nisi qui causam parem invenit. 6. Non opinor, Demosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit, nec Ciceronem magnum oratorem. P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt, non quia tanti fuerit rei publicae malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent, sed,

ut subinde admoneo, quaestionis meminimus sciamusque nos de ea re loqui, quae facilius turbidis et inquietis temporibus existit. 7. Quis ignorat utilius ac melius esse frui pace quam bello vexari? Plures tamen bonos proeliatos bella quam pax ferunt. Similis eloquentiae condicio. 8. Nam quo saepius steterit tanquam in acie quoque plures et intulerit ictus et exceperit quoque maiores adversarios acrioresque pugnas sibi ipsa desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitata discriminibus in ore hominum agit, quorum ea natura est, ut secura sibi, aliis dubia velint.

**XXXVIII.** 1. Transeo ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum. Quae etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen illud forum magis exercebat; in quo nemo intra paucissimas perorare horas cogebatur et liberae comperendinationes erant et modum dicendi sibi quisque sumebat et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. 2. Primus haec tertio consulatu Cn. Pompeius astrinxit imposuitque veluti frenos eloquentiae, ita tamen ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud praetores gererentur: apud quos quanto maiora negotia olim exerceri solita sint, quod maius argumentum est quam quod causae centumvirales, quae nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum iudiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis neque Caesaris neque Bruti neque Caclii neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur? exceptis orationibus Asinii, quae pro heredibus Urbinae inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis divi Augusti temporibus habitae, postquam longa temporum quies et continuum populi otium et assidua senatus tranquillitas et maxime principis disciplina ipsam quoque eloquentiam sicut omnia alia pacaverat.

**XXXIX.** 1. Parvum et ridiculum fortasse videatur quod dicturus sum, dicam tamen, vel ideo ut rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiae attulisse paenulas istas, quibus adstricti et velut inclusi cum iudicibus fabulamur? Quantum virium detraxisse orationi auditoria et tabularia credimus, in quibus iam fere plurimae causae explicantur? 2. Nam quo modo nobiles equos cursus et spatia probant, sic est aliquis oratorum campus, per quem nisi liberi et soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. 3. Ipsam quin immo curam et diligentis stili anxietatem contrarium experimur, quia saepe interrogat iudex, quando incipias, et ex interrogatione eius incipiendum est. Frequenter probationibus et testibus silentium importunus indicit. Unus inter haec dicenti aut alter assistit, et res velut in solitudine agitur. 4. Oratori autem clamore plausuque opus est et velut quodam theatro; qualia cotidie antiquis oratoribus contingebant, cum tot pariter ac tam nobiles, forum coartarent, cum clientelae quoque ac tribus ac municipiorum etiam legationes ac pars Italiae periclitantibus assisteret, cum in plerisque iudiciis crederet populus Romanus sua interesse quid iudicaretur. 5. Satis constat C. Cornelium et M. Scaurum et T. Milonem et L. Bestium et P. Vatinius concursu totius civitatis et accusator et defensos, ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potuerint. Itaque hercule eius modi libri extant, ut ipsi quoque qui egerunt non aliis orationibus censeantur.



## DE VITA ET MORIBUS IULII AGRICOLAE

## Britania și locuitorii săi.

X. 1. Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos, non in comparationem curae ingenüve referam, sed quia tum primum perdomita est: ita quae priores, nondum comperta, eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. 2. Britannia, insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima, spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur; septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. 3. Formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulæ vel bipenni assimilavere. Et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama; sed transgressis immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur. 4. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. 5. Dispecta est et Thyle, quia hactenus iussum et hiems appetebat. Sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem proinde attolli, credo quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. 6. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est ac multi retulere: unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenuis accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et, iugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

XI. 1. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerunt, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii atque ex eo argumenta. 2. Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem asseverant: Silurum colorati vultus, torti plerumque crines et posita contra Hispania Hiberos veteres traiecissee casque sedes occupasse fidem faciunt; proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio caeli corporibus habitum dedit. 3. In universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasionem; sermo multum diversus; in depescendis eadem audacia et ubi advenerit, in detractandis eadem formido. 4. Plus tamen ferociae Britannii praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. Quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent quales Galli fuerunt. In pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur. Honestior auriga, clientes propugnant. Olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur. Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius quam quod in commune non consulunt (rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus); ita singuli pugnant, universi vincuntur.



XII. 1. Caelum crebris inbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine inter-noscas. 2. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exurgere sed transire affirmant. Scilicet extrema et plana terrarum, humili umbra, non erigunt tenebras, infraque caelum et sidera nox cadit. 3. Solum, praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fecundum: tarde mitescunt, cito proveniunt; eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum caelique. 4. Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. Gignit et Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur: nam in Rubro mari vira ac spirantia saxis avelli, in Britannia prout expulsa sint, colligi: ego facilius crediderim naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam. 5. Ipsi Britanni dilectum ac tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt, si iniuriae absint: has aegre tolerant, iam domiti ut pareant nondum serviant.

## DE ORIGINE, SITU, MORIBUS AC POPULIS GERMANORUM

### Tara: clima, produsele solului

V. Terra, etsi aliquando specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, umidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam adspicit; satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera. Ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis: numero gaudent, eaeque et gratissimae opes sunt. (2) Argentum et aurum propitiine an irati di negaverint dubito. Nec tamen affirmaverim nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus est? Possessione et usu haud perinde afficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quae humo finguntur: quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. (3) Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilius usui est promiscua ad vilia mercantibus.

VII. Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita aut libera potestas, et duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Ceterum neque animadvertere neque vincire, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante quem adesse bellantibus credunt. (2) Effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt: quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates; et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores; ad matres, ad coniuges vulnera ferunt: nec illae numerare aut exigere plagae pavent, cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

VIII. Memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi civitatum quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant, nec aut consilia earum aspernantur aut responsa neglegunt. Vidimus sub divo Vespasiano Valaedam diu apud plerosque numinis loco habitam; sed et complures alias venerati sunt, non adulatione nec tamquam facerent deas.

XI. De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes praetractentur. Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspiciatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant, Sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coentium absumitur. (2) Ut turba placuit, considunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. Mox rex vel princeps prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt: honoratissimum assensus genus est armis laudare.

XII. Licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto. Proditores et transfugas arboribus suspendunt, ignavos et imbelles et corpore infames caeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed et levioribus delictis pro modo poena: equorum pecorumque numero convicti multantur. Pars multae regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exsolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis et principes qui iura per pagos vicosque, reddunt; centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas, adsunt.



## Viața privată

**XXI.** Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est: nec implacabiles durant: luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitias iuxta libertatem.

(2) Convictibus et hospitibus non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatus epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes; proximam domum non invitati adeunt. Nec interest: pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque quantum ad ius hospitis nemo discernit. Abeunti, si quid poposcerit, concedere moris; et poscendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus, sed nec data imputant nec acceptis obligantur.

## HISTORIAE

### LIBER PRIMUS

#### Situația la Roma în anul 68 e.n.

**III. 1.** Non tamen adeo virtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit. Comitatae profugos liberos matres, secutae maritos in exilia coniuges; propinqui audentes, constantes generi, contumax etiam adversus tormenta servorum fides; supremae clarorum virorum necessitates, ipsae necesse fortiter toleratae et laudatis antiquorum mortibus pares exitus. 2. praeter multiplices rerum humanarum casus caelo terraque prodigia et fulminum monitus et futurorum praesagia, laeta tristia, ambigua, manifesta. Nec enim umquam atrocioribus populi Romani cladibus magisve iustis indicibus adprobaturum est non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem.

**IV. 1.** Ceterum antequam destinata componam, repetendum videtur, qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit, ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque nos-



cantur. 2. Finis Neronis ut laetus primi gaudentium impetu fuerat, ita varios motus animorum non modo in urbe apud patres aut populum aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat, evulgato imperii arcano, posse principem alibi quam Romae fieri. 3. Sed patres laeti, usurpata statim libertate licentius ut erga principem novum et absentem; primores equitum proximi gaudio patrum; pars populi integra et magnis domibus adnexa, clientes libertique damnatorum et exulum in spem erecti: plebs sordida et circo ac theatris sueta, simul deterrimi servorum, aut qui adesis bonis per dedecus Neronis alebantur, maesti et rumorum avidi.

V. 1. Miles urbanus longo Caesarum sacramento inbutus et ad destituendum Neronem arte magis et impulsu quam suo ingenio traductus, postquam neque dari donativum sub nomine Galbae promissum neque magnis meritis ac praemiis eundem in pace quem in bello locum praeventamque gratiam intellegit apud principem a legionibus factum, pronus ad novas res scelere insuper Nymphidii Sabini praefecti imperium sibi molientis agitur. 2. Et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus, sed quamvis capite defectionis ablato manebat plerisque militum conscientia, nec deerant sermones senium atque avaritiam Galbae increpantium. Laudata olim et militari fama celebrata severitas eius angebat aspernantes veterem disciplinam atque ita quattuordecim annis a Nerone adsuefactos, ut haud minus vitia principum amarent, quam olim virtutes verebantur, accessit Galbae vox pro re publica honesta, ipsi anceps, legi a se militem, non emi; nec enim ad hanc formam cetera erant.

## LIBER SECUNDUS

### Vitellius pe cîmpul de luptă de la Bedriac

LXX. 1. Inde Vitellius Cremonam flexit et spectato munere Caecinae insistere Bedriacensibus campis ac vestigia recentis victoriae lustrare oculis concupivit. Focdum atque atrox spectaculum intra quadragesimum pugnae diem: lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formae, infecta tabo humus, protritit arboribus ac frugibus dira vastitas. 2. Nec minus inhumana pars viae, quam Cremonenses lauru rosaeque constraverant, extractis altaribus caesisque victimis regium in morem; quae laeta in praesens mox perniciem ipsis fecere. 3. Aderant Valens et Caecina monstrabantque pugnae locos: hinc inrupisse legionum agmen, hinc equites coortos, inde circumfusae auxiliorum manus: iam tribuni praefectique sua quisque facta extollentes falsa vera aut maiora vero miscebant. Volgus quoque militum clamore et gaudio deflectere via, spatia certaminum recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri mirari; et erant quos varia sors rerum lacrimaeque et misericordia subiret. 4. At non Vitellius flexit oculos nec tot milia insepultorum civium exhorruit: laetus ultro et tam propinquae sortis ignarus instaurabat sacrum dis loci.

### Dezordine in armata lui Vitellius

**LXXXVIII.** 1. Multae et atroces inter se militum caedes, post seditionem Ticini coeptam manente legionum auxiliorumque discordia; ubi adversus paganos certandum foret, consensu. Sed plurima strages ad septimum ab urbe lapidem. Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos ut gladiatoriam saginam dividebat, et effusa plebes totis se castris miscuerat. 2. Incuriosos milites (vernacula utebantur urbanitate) quidam spoliavere, abscisis furtim balteis, an accincti forent, rogitantes. Non tulit ludibrium insolens contumeliarum animus: inermem populum gladius invasere. Caesus inter alios pater militis, cum filium comitaretur, deinde agnitus, et volgata caede temperatum ab innoxiiis. 3. In urbe tamen trepidatum praecurrentibus passim militibus; forum maxime petebant cupidine visendi locum, in quo Galba iacuisset. Nec minus saevum spectaculum erant ipsi tergis ferarum et ingentibus telis horrentes, cum turbam populi per inscitiam parum vitarent aut, ubi lubrico viae vel occursu alicuius procidissent, ad iurgium, mox ad manus et ferrum transirent. Quin et tribuni praefectique cum terrore et armatorum catervis volitabant.

## AB EXCESSU DIVI AUGUSTI (ANNALES)

### LIBER PRIMUS

#### Prefață

I. 1. Urbem Romam a principio reges habuere. Libertatem et consulum L. Brutus instituit. Dictaturae ad tempus sumebantur; neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare ius diu valuit. Non Cinnae, non Sullae longa dominatio; et Pompeii Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine principis, sub imperium accepit. 2. Sed veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt, temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberii Caiique et Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis



compositae sunt. 3. Inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo.

## LIBER TERTIUS

### Legiŕe

**XXV.** 1. Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus, post Iulias rogationes, incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat; nec ideo coniugia et educationes liberum frequentabantur, praevalida orbitate. Ceterum multitudo periclitantium gliscebat, quum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur; utque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. 2. Ea res admonet ut de principiis iuris, et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, altius disseram.

**XXVI.** 1. Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine poena aut coercionibus agebant. Neque praemiis opus erat, quum honesta suoŕte ingenio peterentur; et, ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. 2. At postquam exui aequalitas et, pro modestia ac pudore, ambitio et vis incedebat, provenere dominationes multosque apud populos aeternum mansere. 3. Quidam statim, aut postquam regum pertaesum, leges maluerunt. Hac primo, rudibus hominum animis, simplices erant; maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Atheniensibus quaesitiores iam et plures Solo perscripsit. 4. Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat; dein Numa religionibus et divino iure populum devinxit; repertaque quaedam a Tullo et Anco: sed praecipuus Servius Tullius sanctorum legum fuit, quis etiam reges obtemperarent.

**XXVII.** 1. Pulso Tarquinio, adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae; creatique decemviri, et, accitis quae usquam egregia, compositae Duodecim Tabulae, finis aequi iuris: nam secutae leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen dissensione ordinum, et apiscendi illicitos honores aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latae sunt. 2. Hinc Gracchi et Saturnini, turbatores plebis; nec minor largitor nomine senatus Drusus corrupti spe aut illusi per intercessionem socii. Ac ne bello quidem Italico, mox civili, omissum quin multa et diversa sciscerentur, donec L. Sulla dictator, abolitis vel conversis prioribus, quum plura addidisset, otium eius rei haud in longum paravit, statim turbidis Lepidi rogationibus, neque multo post tribunis reddita licentia, quoquo vellent, populum agitandi. 3. Iamque non modo in commune, sed in singulos homines latae quaestiones; et corruptissima republica plurimae leges.



**XXVIII.** 1. Tum Cn. Pompeius, tertium consul, corrigendis moribus delectus, et gravior remediis quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor quae armis tuebatur, armis amisit. Exin continua per viginti annos discordia : non mos, non ius ; deterrima quaeque impune ac multa honesta exitio fuere. 2. Sexto demum consulatu Caesar Augustus, potentiae securus, quae triumviratu iusserat, abolevit, deditque iura quis pace et principe uteremur. 3. Acriora ex eo vincla, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut omnium populus vacantia teneret. Sed altius penetrabant, Urbemque et Italiam, et quod usquam civium, corripuerant : multorumque excisi status. 4. Et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio quinque consularium, quinque e praetoriis, totidem e cetero senatu sorte duxisset apud quos exsoluti plerique legis nexus modicum in praesens levamentum fuere.

## LIBER QUARTUS DECIMUS

### Asasinarea lui Pedanis Secundus Simpătia multămii față de sclavi

**XLII.** 1. Haud multo post praefectum Urbis, Pedanium Secundum servus ipsius interfecit, seu negata libertate, cui pretium pepigerat, sive amore incensus et dominum aemulum non tolerans. 2. Ceterum, quum vetere ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quae tot innocios protegebat, usque ad seditionem ventum est ; senatuque in ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium pluribus nihil mutandum censentibus. Ex quis C. Cassius, sententiae loco, in hunc modum disseruit :

**XLIII.** 1. „Saepenumero, patres conscripti, in hoc ordine interfui, quum contra instituta et leges maiorum nova senatus decreta postularentur, neque sum adversatus, non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum, et quae converterentur in deterius mutari, sed ne, nimio amore antiqui moris, studium meum extollere viderer. 2. Simul, quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando respublica consiliis eguisset. Quod hodie evenit, consulari viro domi suae interfecto per insidias serviles, quas nemo prohibuit aut prodidit, quamvis nondum concusso senatus consulto, quod supplicium toti familiae minitabatur. 3. Decernite hercule impunitatem, at quem dignitas sua defendat, quum praefectura Urbis non profuerit? quem numerus servorum tueatur, quum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? cui familia opem ferat, quae ne in metu quidem pericula nostra advertit? 4. An, ut quidam fingere non erubescunt, iniurias suas ultus est interfector, quia de paterna pecunia

transegerat aut avitum mancipium detrahebatur? Pronuntiemus ultro dominum iure caesum videri.

**XLIV. 1.** „Libet argumenta conquirere in eo quod sapientioribus deliberatum est? Sed, et si nunc primum statuendum haberemus, creditisne servum interficiendi domini animum insumpsisse, ut non vox minax excideret, nihil per temeritatem proloqueretur? Sane consilium occultavit, telum inter ignaros paravit : num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, caedem patraret, omnibus nesciis? Multa sceleris indicia praeveniunt : **2.** servi si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo, si pereundum sit, non inulti inter nocentes agere. Suspecta maioribus nostris fuere ingenia servorum, etiam quum in agris aut domibus isdem nascerentur caritatemque dominorum statim acciperent. **3.** Postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam non nisi metu coercueris. At quidam insontes peribunt. Nam et ex fuso exercitu, quum decimus quisque fusti feritur etiam strenui sortiuntur. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur“.

**XLV. 1.** Sententiae Cassii, ut nemo unus contra ausus est, ita dissonae voces respondebant, numerum aut aetatem aut sexum ac plurimorum indubiam innocentiam miserantium. Praevaluit tamen pars quae supplicium decernebat. Sed obtemperari non poterat, conglobata multitudine et saxa ac faces minitante. **2.** Tum Caesar populo edicto increpuit atque omne iter, quo damnati ad poenam ducebantur, militaribus praesidiis saepsit. Censuerat Cingonius Varro, ut liberti quoque, qui sub eodem tecto fuissent, Italia deportarentur. Id a principe prohibitum est, ne mos antiquus, quem misericordia non minuerat, per saevitiam intenderetur.

## LIBER SEXTUS DECIMUS

### Moartea lui Petronius

**XVIII. 1.** De Petronio pauca supra repetenda sunt. Nam illi dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitae transigebatur; utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat, habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factaque, quanto solutiora et quamdam sui negligentiam praeferebant, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. **2.** Proconsul tamen Bithyniae et mox consul, vigentem se ac parem negotiis ostendit : dein, revolutus ad vitia seu vitiorum imitatione, inter paucos familiarium Neroni assumptus est, elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle affluentia putat, nisi quod ei Petronius approbavisset. Unde invidia Tigellini, quasi adversus aemulum et scientia voluptatum potioem. Ergo crudelitatem principis, cum ceterae



libidines cedebant, aggreditur, amicitiam Scaevini Petronio obiectans, corrupto ad indicium servo ademptaque defensione, et maiore parte familiae in vincla rapta.

XIX. Forte illis diebus Campaniam petiverat Caesar, et Cumas usque progressus Petronius illic attinebatur. Nec tulit ultra timoris aut spei moras; neque tamen praeceps vitam expulit, sed intercisas venas, et, ut libitum, obligatas aperire rursus, et alloqui amicos, non per seria aut quibus gloriam constantiae peteret. Audiebatque referentes, nihil de immortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et faciles versus. Servorum alios largitione, quosdam verberibus affecit, iniit epulas, somno indulsit, ut, quamquam coacta, mors fortuitae similis esset. Ne codicillis quidem quod plerique pereuntium, Neronem aut Tigellinum aut quem alium potentium adulatus est: sed flagitia principis sub nominibus exoletorum feminarumque et novitatem cuiusque stupri perscripsit, atque obsignata misit Neroni; fregitque annulum, ne mox usui esset ad facienda pericula.



*D. Iunius Iuvenalis*

(cca 60 — cca 130 e.n.)

**SATIRAE**

**III**

**Neajunsurile vieții la Roma**

Quid Romae faciam? mentiri nescio; librum,  
Si malus est, nequeo laudare et poscere; motus  
Astrorum ignoro; funus promittere patris  
Nec volo nec possum; ranarum viscera numquam  
Inspexi; ferre ad nuptam, quae mittit adulter,  
Quae mandet, norunt alii; me nemo ministro  
Fur erit, atque ideo nulli comes exeo, tamquam  
Mancus et extinctae corpus non utile dextrae.  
Quis nunc diligitur, nisi conscius, et cui fervens

45

Aestuatur occultis animus semperque tacendis?	50
Nil tibi se debere putat, nil conferet umquam, Participem qui te secreti fecit honesti; Carus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci	
Omnis arena Tagi quodque in mare volvitur aurum, Ut somno careas ponendaque praemia sumas Tristis et a magno semper timearis amico.	55
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli Nocte metus. Iam poscit aquam, iam frivola transfert Ucalegon, tabulata tibi iam tertia fumant:	
Tu nescis; nam si gradibus trepidatur ab imis, Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur A pluvia, molles ubi reddunt ova columbae. Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex, Ornamentum abaci, nec non et parvulus infra Cantharus et recubans sub eodem marmore Chiron	200
Iamque vetus graecos servabat cista libellos, Et divina opici rodebant carmina mures. Nil habuit Codrus; quis enim negat? et tamen illud Perdidit infelix totum nihil: ultimus autem	205
Aerumnae est cumulus, quod nudum et frustra rogantem Nemo cibo, nemo hospitio tectoque iuvabit. Si magna Asturici cecidit domus, horrida mater, Pullati proceres, differt vadimonia praetor; Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.	210
Ardet adhuc, et iam accurrit qui marmora donet, Conferat impensas: hic nuda et candida signa, Hic aliquid praeclarum Euphranoris et Polycliti, Haec Asianorum vetera ornamenta deorum, Hic libros dabit et forulos mediamque Minervam, Hic modium argenti; meliora ac plura reponit Persicus orborum lautissimus et merito iam Suspectus, tamquam ipse suas incenderit aedes.	215
Respice nunc alia ac diversa pericula noctis: Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum Testa ferit, quoties rimosa et curta fenestris	270
Vasa cadunt; quanto percussum pondere signent Et laedant silicem. Possis ignavus haberi Et subiti casus improvidus, ad coenam si Intestatus eas; adeo tot fata, quot illa Nocte patent vigiles te praetereunte fenestrae.	275
Ergo optes votumque feras miserabile tecum, Ut sint contentae patulas defundere pelves. Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit, Dat poenas, noctem patitur lugentis amicum	

Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus.	280
Ergo non aliter poterit dormire? Quibusdam Somnum rixa facit: sed quamvis improbus annis Atque mero fervens cavet hunc, quem coccina laena Vitari iubet et comitum longissimus ordo,	
Multum praeterea flammaram et aenea lampas;	285
Me, quem luna solet deducere vel breve lumen Candelac, cuius dispenso et tempero filum, Contemnit. Miserae cognosce prooemia rixae, Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.	
Stat contra starique iubet: parere necesse est;	290
Nam quid agas, quum te furiosum cogat et idem Fortior? Unde venis? exclamat; cuius aceto, Cuius conche tumes? quis tecum sectile porrum Sutor et elixi vervecis labra comedit?	
Nil mihi respondes? aut dic aut accipe calcem!	295
Ede ubi consistas; in qua te quaero proseucha? — Dicere si temptes aliquid tacitusve recedas, Tantumdem est: feriunt pariter, vadimonia deinde Irati faciunt; libertas pauperis haec est:	
Pulsatus rogat et pugnis concisus adorat, Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.	300
Nec tamen haec tantum metuas; nam qui spoliet te Non deerit, clausis domibus postquam omnis ubique Fixa catenatae siluit compago tabernae.	

## IV

## Calcanul lui Domițian

Quum iam semianimum laceraret Flavius orbem Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni, Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,	40
Implevitque sinus; nec enim minor haeserat illis, Quos operit glacies Maeotica ruptaque tandem Solibus effundit torrentis ad ostia Ponti, Desidia tardos et longo frigore pingues.	
Destinat hoc monstrum cymbae linique magister Pontifici summo. Quis enim proponere talem Aut emere auderet, quum plena et litora Delatore forent? dispersi protinus algae Inquisitores agerent cum remige nudo,	45





Unde fit, ut malim fraterculus esse Gigantis!  
 Profuit ergo nihil misero, quod cominus ursos  
 Figebat Numidas Albana nudus arena 100  
 Venator; quis enim iam non intellegat artes  
 Patricias? quis priscum illud miretur acumen,  
 Brute, tuum? facile est barbato imponere regi.  
 Montani quoque venter adest abdomine tardus,  
 Et matutino sudans Crispinus amomo,  
 Quantum vix redolent duo funera; saevior illo  
 Pompeius tenui iugulos aperire susurro, 110  
 Et qui vulturibus servabat viscera Dacis  
 Fuscus, marmorea meditatus proelia villa,  
 Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,  
 Qui numquam visae flagrabat amore puellae,  
 Grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum;  
 Caecus adulator dirusque a ponte satelles, 115  
 Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes  
 Blandaque devexae iactaret basia redae.  
 Nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit  
 In laevum conversus; at illi dextra iacebat 120  
 Bellua. Sic pugnas Cilicis laudabat et ictus  
 Et pegma et pueros inde ad velaria raptos.  
 Non cedit Veiento, sed ut fanaticus oestro  
 Percussus, Bellona, tuo divinat et, Ingens  
 Omen habes, inquit, magni clarique triumphi: 125  
 Regem aliquem capies, aut de temone Britanno  
 Excidet Arviragus: peregrina est bella; cernis  
 Erectas in terga sudes? — Hoc defuit unum  
 Fabricio, patriam ut rhombi memoraret et annos. —  
 Quidnam igitur censes? conciditur? — Absit ab illo 130  
 Dedecus hoc, Montanus ait; testa alta paretur,  
 Quae tenui muro spatiosum colligat orbem.  
 Debetur magnus patinac subitusque Prometheus;  
 Argillam atque rotam citius properata! sed ex hoc  
 Tempore iam, Caesar, figuli tua castra sequantur. — 135  
 Vicit digna viro sententia: noverat ille  
 Luxuriam imperii veterem noctesque Neronis  
 Iam medias aliamque famem, quum pulmo Falerno  
 Arderet. Nulli maior fuit usus edendi  
 Tempestate mea: Circeis nata forent an 140  
 Lucrinum ad saxum Rutupinove edita fundo  
 Ostrea, callebat primo deprendere morsu;  
 Et semel aspecti litus dicebat echini.  
 Surgitur, et misso proceres exire iubentur  
 Consilio, quos Albanam dux magnus in arcem 145  
 Traxerat attonitos et festinare coactos,  
 Tamquam de Chattis aliquid torvisque Sycambriis  
 Dicturus tamquam et diversis partibus orbis



Anxia praecipiti venisset epistola pinna.  
 Atque utinam potius nugis tota illa dedisset 150  
 Tempora saevitiae, claras quibus abstudit urbi  
 Illustresque animas impune et vindice nullo!  
 Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus  
 Coeperat : hoc nocuit Lamiarum caede madenti.

## VII

## Condițiile de viață ale profesorilor din Roma

Declamare doces? o ferrea pectora Vetti, 150  
 Quum perimit saevos classis numerosa tyrannos!  
 Nam quaecumque sedens modo legerat, haec eadem stans  
 Perferet atque eadem cantabit versibus isdem;  
 Occidit miseros crambe repetita magistros.  
 Quis color et quod sit causae genus atque ubi summa 155  
 Quaestio, quae veniant diversae forte sagittae,  
 Nosse velint omnes, mercedem solvere nemo.  
 Mercedem appellas? quid enim scio? — Culpa docentis  
 Scilicet arguitur, quod laeva parte mamillae  
 Nil salit Arcadico iuveni, cuius mihi sexta 160  
 Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet;  
 Quidquid id est, de quo deliberat, an petat urbem  
 A Cannis, an post nimbos et fulmina cautus  
 Circumagat madidas a tempestate cohortes.  
 Quantum vis stipulare, et protinus accipe, quod do, 165  
 Ut toties illum pater audiat — haec alii sex  
 Vel plures uno conclamant ore sophistae  
 Et veras agitant lites, raptore relicto;  
 Fusa venena silent, malus ingratusque maritus,  
 Et quae iam veteres sanant mortaria caecos. 170  
 Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt  
 Consilia, et vitae diversum iter ingredietur,  
 Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra,  
 Summula ne pereat, qua vilis tessera venit  
 Frumenti: quippe haec merces lautissima. Tempta, 175  
 Chrysogonus quanti doceat vel Pollio quanti  
 Lautorum pueros: artem scindes Theodori.  
 Balnea sescentis et pluris porticus, in qua  
 Gestetur dominus, quoties pluit, anne serenum  
 Exspectet spargatque luto iumenta recenti? 180  
 Hic potius, namque hic munda nitet ungula mulae.  
 Parte alia longis Numidarum fulta columnis  
 Surgat et argentem rapiat coenatio solem.



Quanticumque domus, veniet qui fercula docte  
 Componat, veniet qui pulmentaria condit. 185  
 Hos inter sumptus sestertia Quintiliano,  
 Ut multum, duo sufficient: res nulla minoris  
 Constabit patri, quam filius.

## VIII

## Vanitatea nobilimii

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo  
 Sanguine censer, pictos ostendere vultus  
 Maiorum et stantes in curribus AEmilianos  
 Et Curios iam dimidios humerosque minorem  
 Corvinum et Galbam auriculis nasoque carentem? 5  
 Quis fructus, generis tabula iactare capaci  
 Corvinum, posthac multa contingere virga  
 Fumosos equitum cum dictatore magistros,  
 Si coram Lepidis male vivitur? effigies quo  
 Tot bellatorum, si luditur alea pernox 10  
 Ante Numantinos? si dormire incipis ortu  
 Luciferi, quo signa duces et castra movebant?  
 Cur Allobrogicis et magna gaudeat ara  
 Natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus, si  
 Venus et Euganea quantumvis mollior agna? 15  
 Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum  
 Squalentes traducit avos emptorque veneni  
 Frangenda miseram funestat imagine gentem?  
 Tota licet veteres exornent undique cerae  
 Atria, nobilitas sola est atque unica virtus. 20  
 Paulus vel Cossus vel Drusus moribus esto;  
 Hos ante effigies maiorum pone tuorum;  
 Praecedant ipsas illi te consule virgas.  
 Prima mihi debes animi bona; sanctus haberi  
 Iustitiaeque tenax factis dictisque mereris: 25  
 Agnosco procerem. Salve, Gaetulice, seu tu  
 Silanus: quocumque alio de sanguine rarus  
 Civis et egregius patriae contingis ovanti,  
 Exclamare libet, populus quod clamat Osiri  
 Invento.  
 Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta  
 Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem  
 Sic laudamus equum, facili cui plurima palma  
 Fervet et exultat rauco victoria circo.  
 Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cuius 60

Clara fuga ante alios et primus in aequore pulvis;  
Sed venale pecus Coryphaei posteritas et  
Hirpini, si rara iugo victoria sedit.  
Nil ibi maiorum respectus, gratia nulla  
Umbrarum; dominos pretiis mutare iubentur  
Exiguis, trito et ducunt epiredia collo  
Segnipedes dignique molam versare nepotes.  
Ergo, ut miremur te, non tua, privum aliquid da,  
Quod possim titulis incidere praeter honores,  
Quos illis damus ac dedimus, quibus omnia debes.

70

*Aulus Gellius*

(sec. II e.n.)

**NOCTES ATTICAE**

**LIBER PRIMUS**

**XXIII**

**Quis fuerit Papirius Praetextatus ; quae istius causa cognomenti sit :  
historiaque ista omnis super eodem Papirio cognitu iucunda.**

4. Mos antea senatoribus Romae fuit in curiam cum praetextatis filiis introire. 5. Tum, cum in senatu res maior quaepiam consultata eaque in diem posterum prolata est placuitque, ut eam rem, super qua tractavissent, ne quis enuntiaret priusquam decreta esset, mater Papirii pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percontata est filium, quidnam in senatu patres egissent. 6. Puer respondit tacendum esse neque id dici licere. 7. Mulier fit audiendi cupidior : secretum rei et silentium pueri animum eius ad inquirendum ever-



berat : quaerit igitur compressius violentiusque. 8. Tum puer matre urgente lepidi atque festivi mendacii consilium capit. Actum in senatu dixit utrum videretur utilius exque republica esse, unusne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset. 9. Hoc illa ubi audivit, animus compavescit, domo trepidans egreditur, ad ceteras matronas (adfert.). 10. Pervenit ad senatum postridie matrum familias caterva. Lacrimantes atque obsecrantes orant una potius ut duobus nupta fieret quam ut uni duae. 11. Senatores ingredienti in curiam, quae illa mulierum intemperies et quid sibi postulatio istaec vellet, mirabantur. 12. Puer Papirius, in medium curiae progressus, quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset, rem, sicut fuerat, denarrat. 13. Senatus fidem atque ingenium pueri exosculatur, consultum facit uti posthac pueri cum patribus in curiam ne introeant, praeter ille unus Papirius atque puero postea cognomentum honoris gratia inditum „Praetextatus“ ob tacendi loquendique in aetate praetextata prudentiam.

## LIBER QUARTUS

### XX

**Notati a censoribus, qui audientibus iis dixerant ioca quaedam intempestiviter : ac de eius nota deliberatum, qui steterat forte apud eos oscitabundus.**

1. Inter censorum severitates tria haec exempla in litteris sunt castigatissimae disciplinae.

2. 3. Unum est huiuscemodi : Censor agebat de uxoribus sollemne iusiurandum ; verba erant ita concepta : „Ut tu ex animi tui sententia uxorem habes?“ : qui iurabat, cavillator quidam et canicula et nimis ridicularius fuit. 4. Is locum esse sibi ioci dicundi ratus, cum ita, uti mos erat, censor dixisset „ut tu ex animi tui sententia uxorem habes?“, 5. „habeo equidem“, inquit, „uxorem, sed non hercle ex animi mei sententia“. 6. Tum censor eum, quod intempestive lascivisset, in aerarios rettulit causamque hanc ioci scurrilis apud se dicti subscripsit. 7. Altera severitas eiusdem sectae disciplinaeque est. 8. Deliberatum est de nota eius qui ad censores ab amico advocatus est et in iure stans clare nimis et sonore oscitavit atque inibi ut plecteretur fuit, tamquam illud indicium esset vagi animi et alucinantis et fluxae atque apertae securitatis. 9. Sed cum ille deiurasset, invitissimum sese ac repugnantem oscitatione victum tenerique eo vitio, quod „oscedo“ appellatur, tum notae iam destinate exemptus est.

10. Publius Scipio Africanus, Pauli filius, utramque historiam posuit in oratione, quam dixit in censura, cum ad maiorum mores populum hortaretur.

11. Item aliud refert Sabinus Masurius in septimo Memoriali severe factum: „Censores, inquit, Publius Scipio Nasica et Marcus Popilius cum equitum censum agerent, equum nimis strigosum et male habitum, sed equitem eius uberrimum et habitissimum viderunt et „cur“, inquit, „ita est, ut tu sis quam equus curatior?“ „Quoniam“, inquit, „ego me curo, equum Staius nihili servos. Visum est parum esse reverens responsum relatusque in aerarios, ut mos est“.

## LIBER SEXTUS

### V

#### Historia de Polo histrione memoratu digna

1. Histrion in terra Graecia fuit fama celebri, qui gestus et vocis claritudine et venustate caeteris antistabat. 2. Nomen eius fuisse aiunt Polum; tragodias poetarum nobilium scite atque asseverate actitavit. 3. Is Polus unice amatum filium morte amisit. 4. Eum luctum quoniam satis visus est eluxisse, rediit ad quaestum artis. 5. In eo tempore Athenis Electram Sophoclis acturus, gestare urnam quasi cum Oresti ossibus debebat. 6. Ita compositum fabulae argumentum est, ut veluti fratris reliquias ferens Electra compleret commiseraturque interitum eius existimatum. 7. Igitur Polus, lugubri habitu Electrae indutus, ossa atque urnam e sepulcro tulit filii, et quasi Oresti amplexus, opplevit omnia, non simulacris neque imitamentis, sed luctu atque lamentis veris et spirantibus. 8. Itaque quum agi fabula videretur dolor actus est.

## LIBER SEPTIMUS

### XVII

Quis omnium primus libros publice praeberit legendos, quantusque numerus fuerit Athenis ante clades Persicas librorum in bibliothecis publicorum.

1. Libros Athenis disciplinarum liberalium publice ad legendum praebedos primus posuisse dicitur Pisistratus tyrannus deinceps studiosius accuratusque ipsi Athenienses auxerunt; sed omnem illam postea librorum copiam Xerxes, Athenarum potitus, urbe ipsa praeter arcem incensa, abstulit asportavitque in Persas. 2. Hos porro libros universos multis post tempestatibus



Seleucus rex, qui Nicanor appellatus est, referendos Athenas curavit. 3. Ingens postea numeros librorum in Aegypto a Ptolemaeis regibus vel conquisitus vel confectus est ad milia ferme voluminum septingenta: sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, non sponte neque opera consulta, sed a militibus forte auxiliariis incensa sunt.

## LIBER TERTIUS DECIMUS

### II

**Super poetarum Pacuvii et Aatii colloquio familiari in oppido Tarentino**

1. Quibus otium et studium fuit vitas atque aetates doctorum hominum quaerere ac memoriae tradere, de M. Pacuvio et L. Attio tragicis poetis historiam scripserunt huiusmodi: Quum Pacuvius, inquit, grandi iam aetate et diutino corporis morbo affectus, Tarentum ex urbe Roma concessisset, Attius, tunc haud parvo iunior, proficiscens in Asiam, quum in oppidum venisset, devertit ad Pacuvium, comiterque invitatus plusculisque ab eo diebus retentus, tragoediam suam, cui Atreus nomen est, desideranti legit. Tum Pacuvium dixisse aiunt sonora quidem esse, quae scripsisset, et grandia, sed videri ea tamen sibi duriora paulum et acerbiora. „Ita est, inquit Attius, uti dicis, neque id sane me poenitet; meliora enim fore spero, quae deinceps scribam. Nam quod in pomis est, itidem, inquit, esse aiunt in ingeniis; quae dura et acerba nascuntur, post fiunt mitia et iucunda, sed quae gignuntur statim vieta et mollia atque in principio sunt uvida, non matura mox fiunt, sed putria. Relinquendum igitur visum est in ingenio, quod dies atque aetas mitificet“.

### VIII

**Quod Afranius poeta prudenter et lepide sapientiam filiam esse usus et memoriae dixit**

1. Eximie hoc atque verissime Afranius poeta de gignenda comparandaque sapientia opinatus est, quod eam filiam esse usus et memoriae dixit. Eo namque argumento demonstrat, qui sapiens rerum esse humanarum velit, non libris solis neque disciplinis rhetoricis dialecticisque opus esse, sed oportere eum versari quoque exerceri in rebus cominus noscendis periclitandisque, eaque omnia acta et eventa firmiter meminisse, et proinde sapere ac consulere



ex iis, quae pericula ipsa rerum docuerint, non quae libri tantum aut magistri per quasdam inanitates verborum et imaginum tanquam in mimo aut in somnio deliraverint. Versus Afrani sunt in togata cui Sello nomen est :

Usus me genuit, mater peperit Memoria,  
Sophiam vocant me Grai, vos Sapientiam.

Item versus est in eandem ferme sententiam Pacuvii, quem Macedo philosophus, vir bonus, familiaris meus, scribi debere censebat pro foribus omnium templorum :

Ego odi homines ignava opera et philosopha sententia. Nihil enim fieri posse indignius neque intolerantius dicebat, quam quod homines ignavi ac desides, operti barba et pallio, mores et emolumenta philosophiae in linguae verborumque artes converterent et vitia facundissime accusarent, intercutibus ipsi vitiis madentes.

*D. Magnus Ausonius*

(cca. 310 — cca. 395 e.n.)

**EPIGRAMMATA**

**II**

**De suis poematis**

Est iocus in nostris, sunt seria multa, libellis :  
Stoicus has partes, has Epicurus agit.

**XIX**

**Ad uxorem suam**

Uxor, vivamus, quod viximus : et teneamus  
Nomina, quae primo sumpsimus in thalamo :  
Nec ferat ulla dies, ut commutemur in aevo :

Quin tibi sim iuvenis, tuque puella mihi.  
 Nestora sim quamvis provector, aemulaque annis 5  
 Vincas Cumanam tu quoque Deiphoben :  
 Non ignoremus, quid sit natura senectus.  
 Scire aevi meritum, non numerare decet.

## XXV

## De Lacaena matre

Mater Lacaena clypeo obarmans filium,  
 Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

## LXXV

## In Eunomum medicum

Languentem Caium moriturum dixerat olim  
 Eunomus : evasit fati ope, non medici.  
 Paulo post ipsum videt aut vidisse putavit  
 Pallentem, et multa mortis in effigie.  
 Quis tu? Caius, ait. Vivisne? Hic abnuit. At quid 5  
 Nunc agis hic? Iussu Ditis, ait, venio :  
 Ut, quia notitiam rerumque hominumque tenerem,  
 Accirem medicos. Eunomus obriguit.  
 Tum Caius : Metuas nihil, Eunome : dixi ego et omnes  
 Nullum, qui saperet, dicere te medicum. 10

## CVI

## In Venerem Andyomenen

Emersam pelagi nuper genitalibus undis  
 Cyprin Apellei cerne laboris opus :  
 Ut complexa manu madidos salis aequore crines  
 Humidulis spumas stringit utraque comis.  
 Iam tibi nos, Cypri, Iuno inquit et innuba Pallas, 5  
 Cedimus et formae praemia deferimus.



## CXXXVIII

## De Auxilio grammatico

Emendata potest quænam vox esse magistri,  
 Nomen qui proprium cum vitio loquitur?  
 Auxilium te nempe vocas. Inscite magister,  
 Da rectum casum; iam solecismus eris.

## ORDO NOBILIIUM URBIUM

## V

## V. Mediolanum

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,  
 Innumerae cultaeque domus facunda virorum  
 Ingenia, et mores laeti: tum duplice muro  
 Amplificata loci species, populique voluptas  
 Circus, et inclusi moles cuneata theatri; 5  
 Templâ, Palatinaeque arces, opulensque Moneta,  
 Et regio Herculei celebris sub honore lavacri,  
 Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,  
 Moeniaque in valli formam circumdata labor.  
 Omnia quae magnis operum velut aemula formis 10  
 Excellunt, nec uncta premit vicinia Romae.

## X. Athenae

Nunc et terrigenis patribus memoremus Athenas,  
 Pallados et Consi quondam certaminis arcem;  
 Paciferae primum cui contigit arbor olivae;  
 Atticae facundae cuius mera gloria linguae;  
 Unde, per Ioniae populos et nomen Achaeum 5  
 Versa, Graia manus centum se effudit in urbes.

## XXV Burdigala

- Impia iamdudum condemno silentia, quod te  
O patria, insignem Baccho, fluviisque, virisque,  
Moribus, ingeniisque hominum, procerumque senatu,  
Non inter primas memorem; quasi, conscius urbis
- Exiguae, immeritus dubitem contingere laudes. 5  
Non pudor hinc nobis: nec enim mihi barbara Rheni  
Ora, nec Arctoo domus est glacialis in Haemo.  
Burdigala est natale solum: clementia caeli  
Mitis ubi, et riguae larga indulgentia terrae:
- Ver longum, brumaeque breves, iuga frondea subsunt. 10  
Fervent aequoreos imitata fluenta meatus.  
Quadrua murorum species, sic turribus altis  
Ardua, ut aérias intrent fastigia nubes.  
Distinctas interne vias mirere, domorum
- Dispositum, et latas nomen servare plateas, 15  
Tum respondentem directa in compita portas,  
Per mediumque urbis fontani fluminis alveum:  
Quem pater Oceanus refluo quum impleverit aestu,  
Allabi totum spectabis classibus aequor.
- Quid memorem Pario contactum marmore fontem 20  
Euriipi fervere freto? quanta umbra profundi!  
Quantus in anno rumor quanto ruit agmine praeceps  
Margine contenti bis sena per ostia cursus,  
Innumeros populi non unquam exhaustus ad usus!
- Hunc cuperes, rex Mede, tuis contingere castris, 25  
Flumina consumpto quum defecere meatu;  
Huius fontis aquas peregrinas ferre per urbes,  
Unum per cunctas solitus portare Choaspem.  
Salve, fons ignote ortu, sacer, alme, perennis,
- Vitree, glauce, profunde, sonore, illimis, opace. 30  
Salve, urbis genius, medico potabilis haustu,  
Divona Celtarum lingua, fons addite Divis.  
Non Aponus potu, vitrea non luce Nemausus  
Purior, aequoreo non plenior amne Timavus.
- Hic labor extremus celebres collegerit urbes. 35  
Utque caput numeri Roma incluta, sic capite isto  
Burdigala ancipiti confirmet vertice sedem.  
Haec patria est; patrias sed Roma supervenit omnes.  
Diligo Burdigalam; Romam colo: civis in hac sum,  
Consul in ambabus: cunae hic, ibi sella curulis.

# *Ambrosius Macrobius Theodosius*

(sfirșitul sec. IV — inceputul sec. V e.n.)

## SATURNALIA

### LIBER SECUNDUS

#### II

1. Hannibal Carthaginiensis, apud regem Antiochus profugus, facetissime cavillatus est. 2. Ea cavillatio huiusce modi fuit. Ostendebat Antiochus in campo copias ingentes, quae bellum populo Romano facturus comparaverat, convertebatque exercitum insignibus argenteis et aureis florentem. Inducebat etiam currus cum falcibus et elephantos cum turribus equitatumque frenis et ephippiis, monilibus ac phaleris praefulgentem. Atque ibi rex, contemplatione tanti et tam ornati exercitus gloriabundus, Hannibalem aspicit et : „Putasne, inquit, satis esse Romanis haec omnia?” 3. Tunc Poenus, eludens ignaviam imbelliamque militum eius pretiose armatorum : „Plane, inquit,



satis esse credo Romanis haec etsi avarissimi sunt“. Nihil prorsum neque tam lepide neque tam acerbe dici potest. Rex de numero exercitus sui ac de aestimanda aequiperatione quaesiverat, respondit Hannibal de praeda.

### III

2. M. Cicero, cum apud Damasippum cenaret, et ille mediocri vino posito diceret: „Bibite Falernum hoc; annorum quadraginta est. — Bene, inquit, aetatem fert.“

3. Idem cum Lentulum, generum suum, exiguae staturae hominem, longo gladio adinctum vidisset. „Quis, inquit, generum meum ad gladium alligavit?“

4. Nec Q. Ciceroni fratri circa similem mordacitatem pepercit. Nam cum in ea provincia quam ille rexerat vidisset clipeatam imaginem eius ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam — erat autem Quintus ipse staturae parvae —, ait: „Frater meus dimidius maior est quam totus“.

5. In consulatu Vatinius, quem paucis diebus gessit, notabilis Ciceronis urbanitas circumferebatur. „Magnum ostentum, inquit, anno Vatinius factum est, quod, illo consule, nec bruma nec ver nec aestas nec autumnus fuit.“ Querenti deinde Vatinius quod gravatus esset domum ad se infirmatum venire, respondit: „Volui in consulatu tuo venire, sed nox me comprehendit“.

### IV

1. Et ille: — Augustus, inquam, Caesar affectavit iocos, salvo tamen maiestatis pudorisque respectu, nec ut caderet in scurram. 2. Aiacem tragoediam scripserat eandemque, quod sibi displicuisset, deleverat. Postea L. Varius tragoediarum scriptor, interrogabat eum quid ageret Ajax suus. Et ille: „In spongiam, inquit, incubuit“.

5. Alium praefectura equitum submotum et insuper salarium postulantem dicentemque: „Non lueri causa dari hoc mihi rogo, sed ut iudicio tuo munus videar impetrasse, et ita officium deposuisse“, hoc dicto repercussit: „Tu te accepisse apud omnes affirma, et ego dedisse me non negabo“.

13. Exceptus est a quodam cena satis parca et quasi cotidiana: nam paene nulli se invitanti negabat. Post epulum igitur inops ac sine ullo apparatu discedens vale dicenti hoc, tantum insurravit: „Non putabam me tibi tam familiarem“.

29. Sublimis Actiaca victoria revertebatur. Occurrit ei inter gratulantes corvum tenens, quem instituerat haec dicere: „Ave, Caesar, victor, imperator.“ Miratus Caesar officiosam avem viginti milibus nummum emit. Socius opificis,


ad quem nihil ex illa liberalitate pervenerat, affirmavit Caesari habere illum et alium corvum, quem ut afferre cogeretur rogavit. Allatus verba quae didicerat expressit: „Ave, victor, imperator, Antoni.“ Nihil exasperatus satis duxit iubere illum dividere donativum cum contubernali. 30. Salutatus similiter a psittaco, emi eum iussit. Idem miratus in pica hanc quoque redemit. Exemplum sutorem pauperem sollicitavit ut corvum institueret ad parem salutationem. Qui, impendio exhaustus, saepe ad avem non respondentem dicere solebat: „Opera et impensa periit“. Aliquando tamen corvus coepit dicere dictatam salutationem. Hac audita, dum transit Augustus, respondit: „Satis domi salutationum talium habeo:“ Superfuit corvo memoria, ut et illa quibus dominus querentem solebat audire subtexeret: „Opera et impensa periit.“ Ad quod Caesar risit emique avem iussit quanti nullam adhuc emerat.

## C U P R I N S U L

<b>PLAUTUS,</b>	
Amphitruo .....	3
Aulularia .....	11
Mercator .....	15
Miles gloriosus .....	19
Mostellaria .....	21
Rudens .....	23
<b>TERENTIUS,</b>	
Eunuchus .....	25
Heauton Timorumenos .....	26
Phormio .....	29
<b>CAESAR,</b>	
Commentarii de bello Gallico.....	33
<b>CICERO</b>	
In Verrem actio prima .....	38
In Verrem actio secunda, De Signis .....	39
In Verrem actio secunda, De Suppliciis .....	42
In Catilinam oratio secunda .....	46
Oratio pro Archia poeta .....	48
In M. Antonium oratio Philippica secunda .....	52
De Inventione .....	56
De Oratore .....	58
Brutus sive De claris oratoribus .....	61
Laelius sive De amicitia .....	66
De officiis .....	67
Epistulae Ad Atticum .....	70
Epistulae Ad familiares .....	75
Epistulae Ad Quintum fratrem .....	82
<b>LUCRETIUS</b>	
De rerum natura .....	85
<b>CATULLUS</b>	
Carmina .....	95
<b>SALLUSTIUS</b>	
De coniuratione Catilinae .....	100
<b>VERGILIUS</b>	
Georgica .....	104
Aeneis .....	113
<b>HORATIUS</b>	
Satirae .....	136
Carmina .....	145
Epistulae .....	154



<b>PROPERTIUS</b>	
Elegiac.....	161
<b>OVIDIUS</b>	
Amores .....	165
Fasti.....	167
Metamorphoses .....	173
Tristia .....	186
<b>TITUS LIVIUS</b>	
Ab Urbe condita .....	194
<b>PHAEDRUS</b>	
Fabulae Aesopicae .....	199
<b>SENECA</b>	
Epistulae Ad Lucilium .....	207
Tragoediae: Hercules furens .....	210
Medea .....	211
Troades .....	213
<b>PETRONIUS</b>	
Satiricon' .....	215
<b>C. PLINIUS SECUNDUS</b>	
Naturalis Historia.....	222
<b>QUINTILIANUS</b>	
De institutione oratoria.....	224
<b>MARTIALIS</b>	
Epigrammata .....	228
<b>C. PLINIUS CAECILIUS SECUNDUS</b>	
Epistulae .....	232
<b>TACITUS</b>	
Dialogus de oratoribus .....	239
De vita et moribus Iulii Agricolaе .....	243
De origine, situ, moribus ac populis Germanorum .....	244
Historiae .....	246
Ab excessu Divi Augusti (Annales) .....	248
<b>IUVENALIS</b>	
Satirae .....	253
<b>AULUS GELLIUS</b>	
Noctes Atticae .....	261
<b>AUSONIUS</b>	
Epigrammata.....	266
Ordo nobilium urbium.....	268
<b>MACROBIUS</b>	
Saturnalia .....	270



14

Prețul cărții	2. — lei
Prețul legăturii	<u>6,85 lei</u>
Total	8,85 lei

Biblioteca Universității „Lucian Blaga” din Sibiu